



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Thomæ Tamburini Societatis Jesu Siculi  
Caltasinettensis, In ... Universitate Messanensi Theologiæ  
Primarii Professoris, Tractatus Quinque In Quinque  
Ecclesiæ Præcepta**

**Tamburini, Tommaso**

**Dilingæ, 1697**

Tractatus III. De III. Ecclesiæ Præcepto. Id Est, De Sumenda Evcharistia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40032**

  
**TRACTATUS III**  
 DE  
**III. ECCLESIAE PRÆCEPTO**  
 IDEST,  
**DE SUMENDA EVCHARISTIA.**

**CAPUT I.**

*An, & quo jure obligamur  
ad Communionem.*

I. **C**ertum est, Fideles ad-  
totos ad illam obligari Ec-  
clesiastico jure. *Ex c.*  
*omnis utriusque sexus de*  
*pœnitent. & remiss.* ut infra dicemus  
latius.

Sed controversia inter DD. est, an  
obligentur etiam Divino præcepto? &  
quidem, quamvis probabilius sit obli-  
gari etiam divino, probabile tamen est,  
obligari solum Ecclesiastico, quo de-  
terminavit Ecclesia præceptum divi-  
num, quod, quia erat indetermina-  
tum, non obligabat, nisi donec Eccle-  
sia determinaret, ut fufius Theologi  
tradunt.

2. Ratio prioris, & certè majoris  
probabilitatis est, quia illa verba Chri-  
sti Domini videntur præceptiva: (*nisi*  
*manducaveritis carnem filij hominis, &*  
*biberitis ejus sanguinem, non habebitis*  
*vitam in vobis.*) Et ita sustinet S.

Thom. 3. *quæst.* 80. *art.* 11. cum mul-  
tis, delerens oppositum, quod docue-  
rat in 4.

3. Ratio posterioris est, quia non  
apparet, unde certò obligat tale divi-  
num præceptum, cum textus prædictus  
explicetur ab aliquibus, vel de mandu-  
catione in voto, vel de manducatione  
spirituali.

4. His positis, inquirentes primò.  
An vera sit illa doctrina Petri Soto de  
*Evcharistia lect.* 9. dicentis, aliquos  
specialiter obligari ad sumendam Ev-  
charistiam ex eo capite, quod DEUS  
decreverit, eis non largiri gratiam effi-  
cacem ad superandas graves aliquas  
tentationes, & obtinenda quædam bo-  
na necessaria, nisi Sacra Communionem  
roborentur? Quod confirmat illa mu-  
lier liberata à quodam maleficio, cu-  
jus vir apparebat, ut brutum; libera-  
ta, inquam, precibus Sancti Macarij,  
à quo ipsa intellexit, idè calamitatem  
illam passam fuisse, quia per quinque  
hebdomas Sacram Evcharistiam non  
sumplerat.

5. Re.



5. Respondeo. Suarez non omnino respuit hanc Doctrinam *disp. 60. de Eucharistia sess. 3.* observat tamen ratò ei esse locum. Nos dicimus: quis novit sensum Domini, vel cui id revelatum est?

6. Inquires Secundò in hunc modum: ego tentatis omnibus remedijs, adhuc mihi certò persuadeo, me non posse superare tentationem, v. g. vindictæ contra inimicum, nisi frequentatione Sacræ Communionis; si non frequentem, peccabone contra jus prædictum de communicando?

7. Respondeo primò. Hanc certam tuam persuasionem esse creditu difficilem: quis enim certò sciat, te non posse utiliter alia remedia assumere, & item certò te hoc remedio communionis esse sanandum.

Respondeo secundò. Supposita certa ejusmodi persuasione, Suarez *loc. cit.* asserit, te non peccaturum contra præceptum de communicando, sed solum contra illam virtutem, cui illa tentatio adversatur; unde sequitur, te non obligari in confessione exprimere neglectum communionis, tentationis illius tempore commissum, sed solum peccatum, quod commisisti.

## CAPUT II.

### An communicandum in sine vita.

1. Certum est, Fideles adultos obligari ad communicandum ante finem vitæ, sive id sit ex præcepto Ecclesie, sive probabilius præcepto divi-

no. Nam Concilium Nicænum relatum *cap. de his, 26. quest. 6.* cavet, ne discessurus è corpore necessario via sua viatico defraudetur. At sanè cur vocat absolutè necessarium, nisi valdè probabiliter ex lege id præceptum sit?

2. Sed inquires primò, an qui in vita aliquoties communicavit, teneatur, sub mortali communicare sub finem vitæ, hoc est, in articulo, seu periculo mortis?

3. Respondeo. Sanè Cajetanus, alijque allati à Suarío *d. disp. 69. sess. 3.* putant, nullam absolutè esse tunc obligationem sub mortali. Immodò Sylvester alijque ab eodem Suarez citati asserunt, eum, qui in vita, quamvis solum semel communicavit, non esse amplius obligatum ad communionem, nec sub mortali, nec sub veniali ex dicto præcepto divino, ut habet Delgadillo *tract. 2. de Eucharist. dub. 12.* quia semel, inquit, posita unica communione, extinguitur obligatio dicta, cum præcepto divino de communione ante finem vitæ jam satisfactum sit.

4. Sed tenendum adesse hujusmodi obligationem iterum in eo periculo communicandi, si comunio facta multum distet à periculo, id quod mox explicabitur. Ratio potissima ducitur ex Fidelium, & Ecclesie sensu sic judicantium, qui certè in re tanti momenti magni faciendus est.

5. Quæ ratio ex verbis Concilij Nicæni modo allatis n. 1. confirmatur. Ita Suarez *loc. cit.* & communiter Recentiores.

Nota item idem verum esse, sive mors impendat ex infirmitate, sive ex



vulnere, five ex veneno, five ex quacun- que causa, quando advertitur periculum, etiamsi ex revelatione illud advertatur. Immo quoties timetur probabiliter mors, ut ex bello, vel ex longa & periculosa navigatione, quia par est in omnibus ratio.

6. Dices cum Delgadillo *loco cit.* Hoc præceptum de communicando latum à Christo Domino illis verbis: (*nisi manducaveritis carnem filij hominis, &c.*) est pœnale: at præcepta pœnalia non sunt amplianda, sed restringenda. Item est præceptum affirmativum, quale etiam esset præceptum Ecclesiæ de Confessione, cui unica confessione ante mortem satisfectum esset, ut colligit ex Scoto dictus Delgadillo, nisi in præcepto additum fuisset illud (*semel in anno*) sicuti unico actu auditionis Missæ completur præceptum de audiendo Sacro die festo, quia est præceptum affirmativum. Adde, Christum non præcepisse quidem frequentiam communionis, sed solum communionem.

7. Respondeo, Hæc argumenta non debent esse tanti ponderis, ut non vincantur à dicto sensu Fidelium, & Ecclesiæ, qui sensus ostendit, aliquid plus Christum Dominum præcepisse, quàm quòd ejusmodi argumenta præferunt: multò magis, quia Christus instituit hoc Sacramentum per modum cibi ad nutriendam vitam spiritualem animæ, & ad reparandum, quod continua fomitis impugnatione deperditur. Id quod ostendit, Christum voluisse in suis Fidelibus repetitam hujus Sacramenti Sumptionem.

*De eo, qui paulo ante periculum mortis communicavit.*

8. **I**nquies secundò, qui ante duos v. g. vel tres, immò & octo, vel decem dies, quàm incidit in periculum, communicavit, obligaturne iterum in nostra sententia, eo periculo superveniente, communicare?

9. Respondeo cum Suarez *loc. cit.* non obligari: quia præceptum communicandi in fine vitæ non obligat, nisi circumcirca periculum, obligat enim, ut prope mortem inveniatur Fidelis Sacra refeetus Eucharistia. Sed Valquez *disp. 214. c. 2. n. 12.* putat obligari: quia, inquit, antea non fuit impletum præceptum, quod urget quidem, quando adest periculum, non verò quando aderit: sicuti non adimplet præceptum audiendi Sacrum die Dominico, qui audit die Sabbati. Verùm huic rationi videtur satis esse responsum, quia hoc præceptum non est, sicuti præceptum Missæ, quod obligat determinato die, sed, ut dictum est, circum circa.

10. Quare ex dictis fateor, hanc Valquez sententiam esse probabilem, illam tamen Suarj probabiliorem.

Hinc, qui communicavit in Paschate, & post paucos dies incidit in vitæ periculum, non obligatur ex nostra sententia iterum communicare: quia tamen is potest se conformare sententiæ Valquez, poterit iterum etiam non jejunos. Qui verò post multos dies à communionem incidit in hujusmodi periculum, sanè absolutè obligabitur: quia tunc propter illam distantiam



non judicatur refectus circa mortis tempus.

11. Dixi (*etiam non jejunus*) id quod intelligo etiam in sententia Suariz, & nostra: nam licet is satisfecerit per nos præcepto, ex vi communionis illius antecedentis; tamen quia concessio sumendi viaticum non jejuno, non datur solum, ut præcepto satisfiat, verum etiam ut instante necessitate, omni meliori, & promptiori modo moriturus per communionem se muniat: ideo poterit is data concessione frui. Ita Delgadillo *loc. cit.*

De eo, qui manè communicaverat.

12. Inquires 3. quid ergo sentendum de eo, qui manè communicavit ex devotione, & postea serò, superveniente gravi morbo, in vitæ periculum incidit?

13. Respondeo, multò minus obligatur, & consequenter (ne eodem die bis communicet) non potest in nostra probabiliori sententia, seu potius vera, modo mox explicando. Ita de Lugo de *Eucharist. disp. 6. sect. 3.* citans Suarium, Granadum, Præpos. Ratio est, quia refectus manè habuit substantiam viatici; communicare enim per modum viatici, nihil aliud est quoad substantiam, nisi sumere Eucharistiam circiter vitæ finem, quocumque animo, seu intentione sumatur.

14. Quoniam tamen Caspar Hurtadus de *Eucharist. disp. 10.* citans M.S. Valquez & multi cum Diana p. 10. r. 11. resp. 40. affirmant, posse, & debere iterum vespere communicare, addens

idem Diana *part. 11. ref. 21.* utramque sententiam, & negantem, & affirmantem probabilem esse: ideo ego sic statuendum judico, ne errori detur locus.

15. Vel manè quis communicavit bene valens, sed deinde incidit in morbum periculosum, ita ut credatur non producturus vitam ad diem sequentem; & hunc posse vespere illo eodem die, immò debere communicare, probabiliter erit, saltem addita auctoritate tantorum Doctorum; nec aliud eos velle, si eorum verba, & rationes expendantur, existimo: vel manè quis, dum laboraret periculoso morbo, communicavit ex devotione, hunc non posse iterum eodem die communicare, quamvis judicetur eodem die moriturus, affirmo.

16. Ratio utriusque dicti est, quia in priori casu probabile est, non fuisse adimpletum præceptum: quia prædicti DD. probabiliter tenent, suscipi debere Eucharistiam, quando adest periculum vitæ, & satis non esse, si circum circa ejus finem; at in posteriori casu adimpletum est, quia jam infirmus erat in periculo, quamvis aliquando non cognito: quemadmodum, si manè diei festivi interis Sacro, tamen illum ignores esse diem festum, satisfacis præcepto: neque enim ad adimplendum præceptum opus est, ut illud scias, cum sufficiat, quod exequaris illud, quod edicit præceptum, quæ est doctrina communis in *tractat. de legibus.*

17. Ex quibus collige, me facilius concedere eodem die secundam communionem.



munionem illi, qui ex inflicto v. g. vulnere incidit in vitæ periculum, quàm illi, qui ex febris: nam si vesperi vulneratus, communiceaverat manente ante vulnus acceptum, non communicavit tempore periculi ex probabili sententia. At febricitans, cum habeat in se luem febris, præsumere ex communiter contingentibus debeo, eum tempore periculi, licet mihi ignoti, communicasse, atque aded præcepto satisfecisse.

*De tumultuaria Consecratione ad dandum Viaticum.*

18. **I**nquires quartò si certum est, ut diximus *num. 1.* obligari nos ad communicandum instante morte, probabilene est, posse Parochum, seu Sacerdotem in casu, quo aliunde non habeatur Sacra Hostia, non solum celebrare Missam non jejunum, quod certè posse, dicemus infra *cap. 10. num. 2.* verùm etiam posse ad dandum viaticum infirmo alioquin absque Evcharistia è vita discessuro, privatim consecrare, preferendo dumtaxat consecrationis verba, quia urget tunc præceptum divinum communicandi, obligans directè infirmum, & indirectè Parochum? Item possentne consecrare in buccella panis fermentati sine ara, sine vestibus sacris, sine illis ceremonijs ab Ecclesia institutis? Videtur enim posse: quia Ecclesiastica præcepta, qualia sunt hæc, non possunt obligare contra præceptum divinum. Adde non esse credendum ( præsertim in casu, quo infirmus aliud Sacramentum non suscipit ) Christum Dominum voluisse,

potiùs damnari hominem fortè in mortali existentem, alioqui cum attritione, & Sacramento salvandum, quàm prædicto quamvis tumultuario modo haberi Sacramentum.

19. Respondeo, posse licitè hæc omnia fieri, dicta necessitate existente, tenet propter dictas rationes Delgadillo, *cap. 3. de Evcharistia dub. 9.* citatq; pro se Majorem, Ludovicum de S. Joanne, Sotum Victoriam, aliòsque. Adde Thom. Hurtadum *p. 1. ref. mor. fol. 54.* vide Dianam *p. 11. tract. 6. ref. 25. v. notandum.*

20. Sed certè improbabilis est hæc sententia, & contraria, id est, nequam posse, est certissima, ut docet Leander *tr. 7. disp. 5. q. 22.* citans Suarezium, Vasquez, de Lugo, Layman, Granadum, Dicastillum, aliòsque: nam primo sic habetur expressè *cap. 7. comperimus de consecrat. dist. 1.* ubi cum absoluta sit, & sine distinctione de observandis dictis gravissimis ceremoniis locutio, non est hæc à Delgadillo explicanda, quasi procedat pro casibus ordinariis. Secundò, quia præponderare debet reverentia, quæ maxima huic Sacramento debetur, quæque nimis valde offenderetur ex omissione prædictarum observantiarum eicunque alteri incommodo, quod quisque potest cum Dei gratia, quæ nunquam deest, propellere à se, ut in casu nostro potest moriturus per contritionem, quam si is non elicit, sibi imputet. Tertio (per quod solvitur ratio adversariorum) tunc concurrunt duo præcepta, alterum de communicando, quod solum probabiliter est divinum, alterum



de reverentia maxima erga tantum mysterium, quod certò est naturale divinum de debito Christi cultu; hoc igitur, cum sit gravius, prævalere illi debet.

21. Tibi autem Sacerdoti illud in his angustijs incumbit, ut loco conferendi illis insolitis modis, Fidelem excites agone mortis laborantem ad se conterendum; vel si quis sit mente destitutus, vel sensibus, præter absolutionem Sacramentalem sub conditione, de qua infra *cap. 7. à num. 20.* ores benignissimum DEUM, ut illi auxilium ad actum contritionis elicendum impendere dignetur, & si potes, confer illi attrito Sacramentum extreme Unctionis, ores, &c.

*Minister viatici quis?*

22. Inquires quidò: Quis mihi Sacram Hostiam legitime porriget, instante mihi morte?

Respondeo, Parochus tuus, vel (si Religiosus exemptus sit) tuus Prælat, vel alius ex eorum licentia; communicare enim Fideles pertinet ad Parochum, seu Pastorem, qui maxime velle judicandus est suas oves pascere in ipsarum vitæ sine: pro certo tamen habe; si desit Pastor, vel nolit, posse licitè viaticum porrigere quemlibet Sacerdotem; tunc enim adest præsumpta, & sane rationabilis voluntas Ecclesie, seu ejus Capituli, quod est Christus Dominus. Legite de Lugo de *Eucharistia disp. 18. à n. 52.*

23. Subinquires, Ergone si nullus adsit Sacerdos Catholicus, nisi Sacerdos hæreticus, schismaticus, aut

*Tambur. de Præcept. Eccles.*

excommunicatus non toleratus possem, & obligarer ab his tunc comunione recipere?

Respondeo, quod possis, probabilissimum est, quia in tanta necessitate, præsertim si alio Sacramento roboratus non fuisti, vel de tua contritione dubites, Ecclesia creditur, Sacerdotum nullum à tali ministerio repellere: quòd autem talis Minister non sit benè dispositus, sibi imputer, nam te tua necessitas excusat. Legite Suarez *disp. 27. sect. 4. sine*, àc Diana alioque *est. à Leander tr. 7. disp. 4. quest. 21.*

24. Semper autem advertite, nos non posse in eo casu, quo illa comunio esset signum communicationis cum hæresis, vel excommunicati erroribus, vel cum scandalo Fidelium, ut per se notum est. Quod tamen scandalum sæpè vitari poterit, si Fideles id nescientes, doceantur de Ecclesie benignitate in his circumstantijs.

27. Quod verò obligaris, sequitur ex dictis, quia si potes observare præceptum, sanè teneris; & tamen affirmo, te posse eximi ab hac obligatione, & sic non petere Viaticum à prædictis. Ratio est, quia sententia contraria nostræ est etiam probabilis, quam sequitur Sylvester, Henriquez, alijque apud Leandrum: Quare illi te conformare sine ulla culpa potes, præsertim si de tua contritione securus sis.

28. An famulis Religiosorum possit licitè, instante morte, Viaticum porrigi ab ipsis Religiosis, agam infra *c. 14. n. 4.* Ut item alia pertinentia ad hanc materiam de Viatico dicam suo loco infra *cap. 12.*

Dd

CA.



## CAPUT III.

*Quando Communicandum ex  
Præcepto Ecclesiæ.*

1. **S**ANÈ in Paschate, quod his verbis imponitur, *Cap. Omnis utriusque sexus de penitentis, & remissionibus.*

*Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, semel in anno confiteatur, suscipiens reverenter, ad minus in Pascha, Eucharistia Sacramentum, nisi fortè proprii Sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendum: alioquin, & vivens ab Ecclesia ingressu arceatur, & moriens Ecclesiastica careat sepultura.*

2. Advertis in iure communi nullam excommunicationem fulminari contra non communicantes in Paschate? Videat igitur quisque, quid in sua Diœcesi disponatur: cetero in nostra Panormitana indicitur in Synodo ultima, quæ est anni 1652. *cap. 4. de Eucharist. num. 51.* excommunicatio, sed ferenda, additurque: Et incurrant, excommunicationem, nisi moniti resipiscant. Quare monitio præcedere debet, ut incurratur de facto.

3. Adverte item, non peccare, nec pœnam incurrere eum, qui habet causam rationabilem, à suo Confessario approbatam, non communicandi in Paschate: quare si Confessarius iudicet prudenter, pœnitentem fore meliùs dispositum post Pascha, tunc illi tempus proportionatum extendat. At, quòd

meretrix v. g. quæ est in peccato, communionem tunc omittat, non est excusanda: unde peccabit contra hoc præceptum, si non communicat: quia non est rationabilis causa, nolle relinquere peccatum.

4. Declaravit autem Eugenius, ut habet Bellarm. *in declarationibus Concil. sess. 3. cap. 9.* Communicantes intra hebdomadam sanctam, vel intra octavam Paschatis satisfacere præcepto, ut interim taceam, in multis locis esse legitimè intro ductam consuetudinem, qua possit hoc præceptum impleri quocunque die Quadragesimæ: ut videre est apud Leandrum *numer. 4. disp. 3. quæst. 11.* Quòd autem declaravit sacra Congregatio, posse à prima Dominica Quadragesimæ huic præcepto satisfieri, dicit quidem Joannes à D. Thoma apud Delgadillo *de Eucharist. dub. 13.* Sed mihi declaratio hæc non est authentica, & cum non assignetur dies, quæ data est, est satis incerta.

5. Melius id suaderi posset ex illa sententia ejusdem Delgadillo *cap. 20. dub. 13.* quæ vult, præceptum de communionem fidelibus ab Ecclesia datum esse, sicuti præceptum de confessione: utraque enim (ait) ex congruentia fit in Paschate: at satis est, si fiat semel in anno. Multò ergo magis (dicit aliquis) observabitur hoc præceptum, si fiat in Quadragesima: Dictam sententiam pluribus probare contendit dictus Delgadillo, quam ego confirmarem ex præcitatis verbis Canonis (*ad minus in Paschate*) & ex illi: *Trid. sess. 13. can. 9. (singulis annis saltem in Paschate.)* Siquidem, si tibi in-



diceret iudex, ut te sisteres coram illo, saltem in fine mensis, nonne legitime comparere posses quocumque die mensis? Ita igitur in casu nostro, &c.

Hanc tamen sententiam ideò non approbo, quia est contra sensum, & utrum omnium fidelium, immò & Eugenij prædicti, concedentis solum illos quindecim dies à Dominica Palmarum, usque ad Dominicam in Albis inclusivè, his præhabitis.

*Sacerdotes, an servent hoc Præceptum celebrando?*

6. **I**nquires primò, Sacerdotes satisfaciuntne præcepto communio- nis Paschalis, si solum eo tempore Missam celebrent?

7. Respondeo, Satisfacere. Ita testante, & confirmante praxi. Si tamen tunc semel non celebrarent, obligarentur communicare laicè à manibus sui Pastoris, vel ejus delegati. Ita Leander cum alijs tractat. 7. disput. 3. quest. 26.

8. Objicies die Jovis Sancti omnes tenentur sumere Eucharistiam à manu sui Superioris, repræsentantis Salvatorem, qui in ultima Cœna communicavit Apostolos; ergo Sacerdos, sive tunc, sive ex extensione prædicti Eugenij, debet alio die Paschali communicare à sui Superioris, vel ejus delegati manu; Ergo sacrificando non observat Præceptum.

9. Respondeo, Gavantus in Rubric. Missal. p. 4. tit. 8. refert, verba Sacræ Congregationis, jubentis etiam Sacerdotes ad id teneri tunc; sed melius Quintanadvennas negat, hanc Con-

gregationis declarationem vim habere legis, cum authentica non sit: Certè alicubi hæc declaratio ignoratur, & alicubi usû recepta non est; siquidem Coninch. Tanner. Laym. apud Gobat de Commun. cas. 3. quest. 4. docet, licere cuivis eo die privatim celebrare. Imò ex Dicastillo tract. 5. de Eucharist. disp. 4. num. 28. etiam publicè in Germania: Si ergo eo die Jovis Sacerdos cum laude celebrat, non obligabitur Eucharistiam sumere à manu Superioris.

*Non communicans in Paschate, an deinde teneatur?*

10. **I**nquires secundò, An in Paschalibus, qui noluit, cum posset; vel non potuit, cum voluisset, Eucharistiam sumere; obligaturne sub mortali, proximè post illud tempus, commissum defectum compensare, communicando?

11. Ut huic quæstioni fiat satis, altius est ea, sed breviter repetenda: sciendum enim est: præcepta esse, (quantum facit ad nos) duplicis generis: Aliqua ita sunt affixa certò tempori, ut qui ea non adimplevit, licet cum culpa, die designato, non teneatur postea compensare: ejusmodi sunt præcepta juniorum, festorum, horarum Canonicarum, &c. quæ si non adimpleantur, non audiatur e. g. Missa die ipso festivo, non urget obligatio post diem. Aliqua verò sunt, quorum adimplerioni certa quidem dies præfigitur: verùm non ad finiendam, sed ad dilatandam obligationem, ita nimirum, ut qui illo præfixo die non ex-

D d 2 quitur,



quitur, quod imperatum fuit, exequi postea debeat, tantoque gravius peccet, quanto diutius differret, ut patet in citatione comparandi tali die coram Iudice, in praestanda solutione certo die, in solvendis decimis, & tributis, ac similibus.

12. His breviter memoratis, respondeo ad quaestionem propositam, afferendo de illa tres sententias. Prima est Suarj, aliorumque apud Dianam p. 3. tract. 4. resol. 41. putantium, eum, qui in Paschate non communicavit, obligari postea, statim ac poterit communicare. Ratio est, inquit, quia hoc praecipuum communicandi in Paschate est ex hac posteriori classe.

13. Secunda est Toleti, aliorumque apud eundem, afferentium, nequaquam obligari postea. Ratio est, inquit, quia hoc praecipuum est ex priori classe praecipuorum, & hoc videtur probare illa signata affixio ad Pascha in c. Omnis utriusque sexus; quasi in honorem, & cultum illius sacri temporis.

14. Tertia deducitur ex illa sententia Delgadillo, quam modò retuli num. 5. putantis, praecipuum Ecclesiae de communicando, urgere semel pro toto anno. Ex hac enim sententia sequitur, eum, qui communicavit semel in anno, jam amplius non esse obligatum compensare in alio anno. Quod si ne semel quidem communicavit in hoc, e. g. anno, si teneas, tale praecipuum esse de posteriori classe, obligaris in alio anno compensare; si esset de priorè, non obligaris.

15. Ex his sententijs prima, & secunda sunt probabiles; tertiam idè non approbo, quia doctrinam, in qua innititur, non approbavi dist. n. 5.

*De habente impedimentum communicandi in Paschate.*

16. Inquires tertio. Ad quid obligatur is, qui praevidet sibi de fore commoditatem communicandi in Paschate? Obligaturne praevinire? Respondeo: Si id eveniat in praedictis quindecim diebus Paschalibus, ut si praevidisti, te non posse communicare secunda hebdomada, tunc obligaris praevinire, atque adeò Evcharistiam sumere in prima. Patet, quia tunc urget de praesenti praecipuum: sicuti si quis praevidet die festivo, se non posse interesse sacro circa meridiem, obligabitur interesse primò mane.

17. At si id eveniat extra tempus Paschale, Fagundez Praecip. Ecclesiae, 3. lib. 1. cap. 5. num. 3. obligat ad praevinendum quia sicuti sententia modò num. 12. allata Suarj obligat etiam post Pascha eum, qui non potuit in Paschate; sic obligabit antea, si postea non poterit.

18. Azorius verò citatus ab eodem Fagundez absolutè negat, teneri praevinire: quia hoc praecipuum, ut dixit modò Toletus n. 13. est affixum Paschati, & non urget antea. Unde quemadmodum non teneor adesse Missae die Sabbati; si praevideo, me non posse die Dominico; ita in casu nostro. Quare, si ante Pascha communicasti propter impedimentum praevisum, & deinde fortè tollitur tibi tale impedimentum in



in Paschate; obligaris iterum commu-  
nicare, quia antea in hac Azor. senten-  
tiæ præceptum non implesti. At in sen-  
tentiâ Fagundez, ablato fortè impedi-  
mento, non obstringeris iterum com-  
municare: quia in ejus sententiâ jam  
satisfecisti præcepto. Utraque sen-  
tentiâ est probabilis, sed illa Azorij  
probabilior.

*Excommunicatus an urgeatur  
ex hoc præcepto ad communi-  
candum.*

19. Inquires quartò. Excommu-  
nicatus, cui (ut omnes scimus)  
prohibetur participatio communionis,  
obligaturne ad quærendam ejus abso-  
lutionem, ut sic communicet in Pas-  
chate?


20. Respondeo: certum est, si  
per ipsum non stat, quòd absolutio ipsi  
conferatur, eum non obligari ad com-  
municandum, sicut nec ad Missam au-  
diendam, ducta paritare à detento in-  
voluntariè in carcere: qui nec ad Mis-  
sam, nec ad Communionem, si in car-  
cere non adsit, qui hæc conferat, obli-  
gatur: obligari etiam ad impossibile  
nemo potest.

21. Sed difficultas est de illo ex-  
communicato, qui posset quære, &  
obtinere absolutionem, & non quærit:  
an hic non solùm peccet, habitualiter  
persistendo in excommunicatione; ve-  
rùm etiam contra præceptum commu-  
nicandi in Paschate.

22. Fagundez, Azor, aliique  
apud Leandrum tract. 17. disp. 3. quest.  
7. putant, hunc obligari, & consequen-  
ter peccare, etiam peccato contra præ-

ceptum communicandi in Paschate:  
quia, inquiunt, debemus tollere om-  
nia impedimenta, ut uniamur cum  
Christo. At Delgadillo cap. 2. de Euc-  
char. quest. 33. sustinet, excommunica-  
tum non obligari ex vi præcepti de  
communicando in Paschate, ut etiam  
de confitendo semel in anno, ad pro-  
curandam absolutionem. Quare non  
procurando, unico peccato, peccat,  
habitualmente persistendo in excommu-  
nicatione; non autem & altero contra  
præceptum Ecclesie de communican-  
do, & confitendo: sicut enim prædi-  
cti Authores fatentur, incarceratum,  
& infirmum non obligari ad quæren-  
dam liberationem, vel sanitatem, ut  
communicet in Paschate, & audiant  
Missam; ita neque excommunicatus,  
uti etiam incarceratus, ob non solum  
debitum, non obligatur citius debitum  
solvere, ut sacrum audire possit, quæ  
est doctrina Dianæ p. 5. tr. 9. res. 88.  
esto enim peccet contra justitiam, non  
quærendo solvere, cum possit; non ta-  
men peccat contra Religionem, sacrum  
non audiendo: ita in casu nostro.

23. Ad illud de unitate, quod af-  
fert Fagundez, responderi posset obli-  
gari nos quidem ad hanc, ex vi præ-  
cepti charitatis in Deum, sed non ex vi  
præcepti communionis, confessionis,  
& auditionis sacri: quæ esto condu-  
cant, tanquam ad finem, ad hanc uni-  
tatem cum Christo Domino; finis ta-  
men legis non cadit sub legem. Hæc  
sententiâ Delgadilli non valde displi-  
cet, sed certè illa Fagundez est tutior.





*Non communicans in Paschate,  
an sit suspectus de hæresi?*

24. **E**ste suspectum, putat Sanctarellus, quem citat, sequiturque Diana *par. 4. tr. 8. resol. 38.* Non esse censet Penna cum Farinacio *quest. 178. num. 29.* Mihi placet distinctio Bordonii *cap. 21. in trib. num. 50.* non esse suspectum absolute: sed si moneatur ab Episcopo, & tamen non recipiat communionem; tunc sanè contrahere suspicionem hæresis: quia tunc præsumitur, à communi fidelium vita recedere, vel Ecclesiæ præceptum negare, seu parvi facere, vel ejusdem Ecclesiæ potestatem imponendi præcepta denegare: quæ certè ante monitionem præsumere non debemus, cum solum negligentiam palmarem suæ salutis, sicuti in similibus aliis peccatoribus, tunc solum notare debemus, & non aliud.

25. Quod dicimus de Communionem, dic sub eadem distinctione de non suscipiente Sacramentum Pœnitentiæ semel in anno, ut idem Bordonus notat ibidem.

#### CAPUT IV.

*Ubi communicandum, & à quo  
in Paschate?*

1. **N**ullum invenio in Sacris Canonibus præceptum, ut quis Paschalem Communionem peragat in Ecclesia Parochiali: solum enim *in cap. Omnis utriusque sexus*, imponitur, esse Communionem suscipiendam à manibus sui Sacerdotis, hoc est, sui Pasto-

ris. Quare hæc duo, communicare in Parochia, & communicare ex manibus sui Parochi, quamvis soleamus pro eodem accipere; tamen in rigore latius diversa sunt; hoc enim præceptum est, illud non item. Unde fit, ut si communices è manibus tui Pastoris in aliena Ecclesia, satisfacias præcepto: ut contra, si in Ecclesia Parochiali, sed non è manibus tui Parochi, nec ejus delegati, præcepto non satisfacias.

*Quo peccato quis peccet, non  
communicando in Parochia?*

2. **I**nquires primò, peccatne mortaliter, qui communicat quidem in Paschate, sed non in Parochia, seu, quod idem esse diximus in hoc tractatu, non à manibus sui Parochi?

Respondeo affirmative; per se loquendo, quia non servat, quod gravissimè jubetur *in d. c. Omnia*.

3. Dixi (per se loquendo) nam puto, eum, qui paratus est suum Parochum recognoscere, & fortè in anno pluries recognovit, communicando in sua Parochia, non irrogare injuriam gravem suo Parocho, si semel, aut iterum, quamvis sine causa, se subtrahat à jurisdictione Parochi, & communicet in aliena parochia; hic enim, habere etiam locum parvitatem materię putandum est.

*An servetur hoc Præceptum ab  
omnibus in Cathedrali?*


4. **I**nquires secundò. An in Cathedrali possint omnes, qui sunt de Diœcesi, implere præceptum, ibi communicando?

Re-



Respondeo; posse: quia ibi residet Episcopus, qui est totius Diocesis commune caput, & pastor. Ita Diana par. 11. tract. 7. resol. 28. ubi de Magistro Capellano, qui ordinarius Parochus est in Cathedrali Panormitana. Unde si idem Diana p. 9. tr. 9. resol. 64. contrarium docuerat; videtur, vel mutasse sententiam, vel significare voluisse, utrumque esse probabile. Ita etiam Bonacina de Evchar. disput. 4. sect. 7. num. 11. punct. 11. in mea editione Venetiis Anno 1639. sentit cum mea sententia. Quare cum Leander tract. 7. disp. 3. quest. 15. affert Bonacinam, contrarium sentientem; credendum est, in postrema editione eum sententiam mutasse, mecumque sensisse: Editio enim mea, ut apparet in frontispicio operis, dicitur esse novissima.

5. Quidquid igitur dicat Delgadillo cap. 2. de Evch. n. 109. qui dum cum communi concedit, Episcopum (ut etiam ex Guar. de Evch. disp. 27. sect. 2. ejus Vicarium Generalem, ex vi solius Vicariatus Generalis) posse dare licentiam communicandi alibi à propria parochia; deinde (nescio, an consequenter) dicit, Episcopum pro Cathedrali, in qua ipse Episcopus residet, non dare legitimum consensum, ibi communicandi. Nos ergo probabilius, & magis consequenter pro omnibus sua Diocesis posse, existimamus.



*Ubi communicare debent Peregrini?*

6. **I**nquires tertio. Vagi, Peregrini, & Advenz ubinam satisfacent huic præcepto?

Respondeo, ubilibet; nec solum in Cathedrali civitatis, ubi fortè tempore Paschali invenirentur. Ratio est, quia saltem pro his adest tacita sui Parochi, vel Summi Pontificis licentia. Idem dic de quibuscunque legitime impeditis: idemque, si Parochus, vel per negligentiam suam ministerium negligit, vel licentiam, alibi communicandi, per malitiam negat.

7. Dixi (posse) nam invenio apud Gobat de Comm. casu 5. hanc doctrinam: nunquid, ait, tenentur advenz alicubi tunc communicare, si nequeant commodè domum redire? Respondet; Auctores, quos legi, solum dicunt, eos posse: nullus autem dicit, debere extra suam Parochiam communicare. Hæc ille, apud quem sit hujus doctrinæ fides. Ego enim illam approbare non audeo; quia fortasse non rarò eveniret, ut aliquis negotiorum causa per multos annos peregrinus esset, vel advena in locis à sua patria distantibus, & non communicaret: ut interim alias rationes prætermittam.

*An quilibet implere possit hoc Præceptum apud Religiosos?*

8. **I**nquires quartò. Si in templis Religiosorum quis tempore Paschali communicet, satisfacitne præcepto, sumendo Evcharistiam à manibus alicujus ex Religiosis? (Dixi tempore

re

TEVRIN  
in  
de  
E II  
30.6.



re Paschali) nam intra annum ex devotione, dicemus cap. 6.

9. Tres sunt hac de re sententia. Prima, quam sequitur cum multis Fagandez apud Leandrum, mox citandum, negat in his Ecclesiis satisfieri præcepto.

10. Secunda concedit limitatè; addit enim apud mendicantes, & eorum privilegia participantes, satisfieri quidem præcepto, ibi in cæteris diebus Paschalibus, sed non ipso die Resurrectionis: quia Pontifex ob quandam solemnitatem exceptit diem illum, & parochis pro satisfactione præcepti illum relinquit: quare si ipso die Resurrectionis velis satisfacere præcepto, debes per hanc secundam sententiam in Parochia, in aliis autem diebus paschalibus posses apud Religiosos. Dixi (pro satisfactione præcepti) siquidem ex devotione non adest hæc exceptio pro eo, qui vel antea satisfecit, vel postea satisfaciet in parochia. In hanc secundam sententiam cum hac limitatione inclinatur Diana *part. 9. tr. 9. disp. 27.*

11. Tertia docet universaliter, etiam mentionem faciens, & includens ipsum diem Dominicum Paschatis, posse satisfieri præcepto apud prædictos Religiosos, quia absolute, & sine restrictione Paschatis id concessere Pontifices. Lege Pellizzarium *in Man. tom. 2. tr. 8. q. 8.* & Leander *tr. 7. disp. 3. q. 19.* id probabile existimantem, licet contrarium dicat, esse probabilius. Lege item Delgadillo *de Evh. c. 1. n. 18.* hanc sententiam absolute amplectentem, nulla mentione facta prædictæ exceptionis diei Resurrectionis.

12. De quadam declaratione Card. contra prædicta, quam aliàs ego putavi, vel non esse universalem, vel non authenticam, lege Dian. *p. 11. tr. 7. q. 8.*

Ex his tribus sententiis, prima est consulenda omninò, reliquas suis defensoribus relinquamus.

13. Subinquires: Prædicti Religiosi possuntne legitime Evcharistiam ministrare in Paschate, ut etiam in articulo mortis, familiaribus, seu famulis suis?

14. Respondeo. Famulos servientes, autoritate Prælati, aut officium conventus, ipsi Monasterio, aut etiam servientes alicui Religioso, non ad hujus libitum assumptos, sed Prælati, utique posse, sic concedentibus multis Pontificum privilegiis, quæ citantur à Rodriquez *in comp. sect. 63. num. 1.* & de Lugo *lib. 4. resp. mor. dub. 33.* Delgadillo *cap. 2. de Evh. ar. num. 4. 22.* qui ultimus addit ex Portell. idem esse sentiendum de famulis conjugatis, quamvis nocte dormiant extra conventum: hi enim etiam sunt commensales religiosorum, & intra eorum septa moraliter commorari existimantur; nam famuli omninò extra dicta septa, ac domos, die, ac nocte commorantes, quamvis antea fortè in hoc privilegio comprehenderentur, hodie excluduntur à Trid. *sess. 24. cap. 11.*

15. Nobis ex Societ. privilegium hoc, quo diximus, hodie alios mendicantes frui, Pater noster Generalis sic restringit *in compendio privilegiorum v. familiares 9. 2.* Hæc facultas conceditur Superioribus, & quibus ipsi eorum miserint.



An oporteat in interdicto locali generali communicare in Paschate?

vinorum officiorum dumtaxat externum; idè dixi utrumque esse probabile.

16. Inquires quid? Quid sentient dum de eo, qui est in loco Interdicti Generalis localis? Respondet antequam huic quæ sit satisfaciatur, præmittenda est concessio Bonifacii VIII. & Martini V. quia mitigatur rigor talis Interdicti, per quod inter alia prohibetur sumptio Eucharistiæ, excepto à moribundis; mitigatur, inquam, ita ut in diebus festis Resurrectionis, Pentecostes, Natalis Domini, Assumptionis Beatæ Virginis, festoque Corporis Christi cum tota ejus octava celebrentur divina officia, etiam publicè, ac si tale Interdictum non esset sub ea lege; ut qui causam Interdicto dederunt, non appropinquent ad Altare; nomine autem festi Resurrectionis, & Pentecostes probabiliter intelliguntur etiam duo dies sequentes, & nomine Natalis Domini tres sequentes dies; pertinent enim hi ad eandem solemnitatem.

18. Respondeo, nunc ad questionem præpositam: esse probabile, Fideles illos, interdicti tempore, non obligari in Paschate communicare; quia probabile est, tunc non esse concessam communionem: & item probabile esse obligari: quia probabile est, ablatam fuisse pro illis diebus Paschatis prohibitionem. Sequere igitur, quod mavis: hoc posterius approbat Leander cum alijs *tr. 7. q. 3. tr. 13.* Illud prius *Sylvest. Sorru*, alijsque ab eodem citatis.

## CAPUT V.

Quando, & quoties communicandum ex devotione?

I. Quamvis ex præcepto Ecclesie semel in Paschate sit communicandum, ut modò vidimus; tamen ex devotione, licet sæpius, & aliquando quolibet die, ut infra explicabimus. Etgone etiam in die Parasceves, hoc est, die Veneris sancto? Dico etiam tunc; nam licet eo die non celebretur, non tamen prohibetur sacra communio ex antea præconsecratis. Quod si Barboza de Parochis *num. 16.* testatur à sacra Congreg. anno 1612. declaratum fuisse, non licere, nisi infirmis; & certè communis praxis ita apud nos servet; id tamen, ajo, esse ex quadam congruentia ob luctum memoriæ mortis Christi Domini: de illa autem Congregationis declaratione non consta-

17. Hac concessione supposita, queritur de tract. de interdict. An illis, qui interdicto locali causam, non dederunt, concedatur in diebus prædictis communicatio? Mihi videtur concedi, & non concedi, esse probabile: quia verba Bonifacii hæc sunt, *Interdicto qui non dederunt causam, admittantur ad participationem divinorum.* Quoniam igitur illud (*participatio divinorum*) significare potest, ijs concedi communionem: & significare potest, solum concedi commercium di-

Tambur. de Præcept. Eccles.

Ee re



re authenticè, meritò quis pronuntiabit.

*De bina communione in eodem die.*

2. **I**nquires primò. An aliquo die bis liceat communicare?

Respondeo. Nullo prorsus die, excepto eo casu supervenientis infirmitatis, de quo ex aliorum sententia diximus *cap. 2. num. 14.* & in casibus incurtus infidelium, & similibus, de quibus alibi tractabimus.

3. Nota autem pro Sacerdotibus, qui die Natalis Domini ter in sacrificio communicant, eis fas non esse, extra Missam illo die laicè communicare. Unde meritò Quintanadvennas *tr. 4. sing. 9.* negat, Religioso professionem die Natalis Domini emittenti, & communicanti ex manibus alterius de tua Religionis more, ampliùs eo die celebrare licere.

*Qua hora communicandum?*

4. **A**n liceat, quacumque hora communicare?

Respondeo affirmativè, quia, ut advertit Sylvester *v. Eucharistia 3. q. 12.* oppositum nullibi prohibetur: potest itaque sanus, etiam vespere, etiam in tempesta nocte jejunus communicare: quod tamen non nisi ob gravem causam, idque ob reverentiam Sacramenti, & metum scandali in importunis hinc horis faciendum est: cum soleant fideles solùm ante meridiem circum circa, ut no ant Conink, & Castrop, lege Dian. *tr. 7. q. 21.* nobiscum sententem contra Patqualig. dissentientem,

*An quotidie communicandum?*

5. **I**nquires tertio. An hac ætate expediat quotidie communicare?

Respondeo. Quamvis Joan. Sanchez *disp. 22.* & sequentibus, omni ingenij conatu pugnet, id expedire, etiam hodie, quod usurpabant Fideles in primitiva Ecclesia; tamen cum in praxi omnes experiamur, ac fateamur è majori bono personarum esse, si non quotidie ad tantum mysterium accedatur, & majorem concipi reverentiam erga Christum Dominum, ex moderata frequentia, quàm ex quotidiana, qua reverentia (ut late probat de Lugo *disp. 17. de Eucharist. sect. 3.* compensatur fructus, qui evulsi potest ex quotidiana: idcirco non est generaliter admittenda doctrina Joann. Sanchez sed illis solis à prudenti Confessario est ea suadenda, quos experientia docbit, solet ex tam frequenti communione in virtutibus proficere: quibus tamen rarissime per totum annum, sed solùm per aliquos majoris devotionis dies cum discretione concederem, Sacerdotes verò quotidie celebrare nimis certum est, & posse, & valde congruere.

*De communione negata Pœnitenti a Confessario.*

6. **I**nquires quarto. Si Confessarius pœnitenti ritè absoluto prohibet aliquando ex causa, quam ipse Confessarius sufficientem existimat, ne sumat sacram Eucharistiam, obligabitur ne pœnitens obedire?



7. Senè obligabitur, ut docet Dicastillus *tract. 4. de Eucharist. dub. 18.* qui tum auctoritatibus, tum exemplis, tum rationibus manifestè concludit; quidquid dicat Joann. Sanchez *disp. 28. num. 10.* negans Confessario, jus interdicensi communionem, nisi in casu, quo pœnitens esset in statu peccati mortalis. Sed is fallitur: quia Confessarius, sive ut Magister, sive ut Medicus, sive ut Judex pœnitentis, semper jus habet illi imponendi ea, quæ magis eidem expedire judicaverit. Quare si advērat Confessarius ex frequenti communionem tepescere e. g. pœnitentem in virtutibus, vel ex negatione communionis speret, ipsum magis terret à committendis peccatis, audeat, & tunc illud, cum discretionem tamen, arceat à sacro Altari.

## De eadem eidem imperata.

8. Inquires quintò. Quid si contra, imperet pœnitenti Confessarius, ut roties communicet, peccabitne is non parendo?

9. Respondeo, quamvis idem Jo. Sanchez *quæst. 23. num. 8.* neget, hunc peccare: quia, inquit, non potest pœnitens à Confessario adigi ad procurandam animi puritatem, quæ est dispositio necessaria ad communicandum; ergo nihilominus, supposita communi, atque in Tridentino fundata, sententia, quòd pœnitens teneatur admittere, ac explere notabilem pœnitentiam à Confessario injunctam, censeo falsam esse doctrinam prædicti Auctoris: nam repugnat iudicio, & usui Confessorum, immò & praxi Ecclesiæ, im-

perantis paschalem communionem omnibus Fidelibus, & constitutionibus multarum Religionum, jubentibus menstruam, vel frequentiore communionem, ac etiam frequentiore confessionem.

10. Si autem interrogas, quò pœnitens peccet pœnitens, si ejusmodi pœnitentiam negligit? Dico, ex genere suo peccare mortaliter: quia sicut negligens alias pœnitentias graves, graviter peccat ex doctrina communi; sic & negligens hanc. Confirmatur, quia obligatio pœnitentiæ, sicut & votorum, debet æstimari ex comparatione, quam invenit lex humana Ecclesiastica, pœnitentiæ enim est lex data à Confessario ipsi pœnitenti. Votum est lex data sibi à vovente: cum ergo lex Ecclesiastica de communionem Paschali data à cap. *Omnis utriusque sexus* communiter à Doctoribus judicetur obstringere Fideles sub mortali; ita in casu nostro lex Confessorij. Abstracto autem hinc ab illis quæstionibus, an si materia gravis, ut e. g. dicta communio detur pro pœnitentiæ dumtaxat peccatorum venialium, vel mortalium aliàs absolutorum, obligetur pœnitens, illi sub mortali satisfacere? Et an possit pœnitens nolle acceptare pœnitentiæ à Confessario datam, paratus illi satisfacere in Purgatorio: de his enim supradictum est in *tract. de Confessione.*

11. Quando fortè dubitas, an Confessarius id jussit sub obligatione gravi, an sub levi, nec sit locus illum interrogandi; tunc te obligatum sub mortali putà: quia certum est, tibi

Ee 2

rem



rem gravem imperatam fuisse, quæ ex se gravem trahit obligationem; & ex alia parte cum intentio Confessarij interna fuerit, nullum fundamentum habes iudicandi fuisse sub levi. Et nota, si communionem impostam non implesti, e. g. hodie, te debere postea; si quidem communicatio data per pœnitentiam non addicitur communiter temporari (nisi expressè tempus ita imperetur, ut aliud tempus excludatur, quod raro, vel nunquam fit à Confessariis) sed absolute imponitur, sicuti rectè monet Castropalaus *tract. 23. punct. 21. num. 3.*

*An liceat communicare in testimonium innocentie?*

12. **I**nquires sextò in hunc modum: Gregorius VII. Summus Pontifex improborum calumniis impetitus apud Henricum III. Romanorum Regem, ut narrat Baronius ad Annum Christi 1077. Regem sic est alloquutus: Ut noveris, me horum delictorum purum esse, sumam nunc sacrum Christi Corpus, ut si ea commisi, me subitanea morte interimat Deus; si innocens sum, me incolumem servet. His dictis, sacram Hostiam sumpsit sine ullo profluo damno; inquirens ergo, an liceat, eum aliquando imitari?

13. Respondeo, per se loquendo, nunquam licet, *quia non tentabis Dominum Deum tuum*, ut latè prosequitur Valquez *de Euch. q. 70. art. 6.*


4. Sed licet sine petitione miraculi dicere alicui ad extorquendam ab illo veritatem; *Credam, te verum dicere, seu dixisse, si cras, ad tuorum*

*verborum confirmationem Eucharistiæ devotè suscipias?*

15. Respondeo per se loquendo, neque id licet, quia obnoxium est periculo communicandi indignè. Ita Castropal. *de Euch. tract. 23. punct. ult.* Dixi, per se; nam, quia contra casum, ubi non expectatur miraculum, non est textus clarus, nec clara prohibitio; ideo censeo cum Suario *de Euch. disp. 67. sect. 6.* posse in aliquo casu permitti; fateor tamen ob dictum periculum non esse id nisi rarissimè uturpandum.

16. Queret hic puella innocens; mea mater suspicatur de me, quòd inhonestè egerim, vel quòd furtum e. g. fecerim, possumne sic licitè dicere (id à me ea nequaquam exposcente) *quandòquidem, mater, respicis habere mihi fidem, ego cras in testimonium mea innocentie, Pœnitentie, & Eucharistiæ Sacramenta suscipiam?*

17. Respondeo: id faciliùs posse permitti, ut permittit Tannerus *quæst. 8. num. 212.* quia id ex se, & spontè vult exhibere puella: verùm ne hoc quidem, propter periculum sacrilegæ Communionis, est passim permittendum. Ego tamen Confessarius, si audirem à puella benè disposita, sic Martiris jurgia, & domus perturbationem; vel similia posse deferre velcere, sine ulla dubitatione permitterem, ut pernitit Gobat *de commun. casu 23.*





## CAPUT VI.

*Ubi communicandum ex devotione?*

18. **E**X sparsim dictis in præcedentibus facile colligis, omnes ex devotione extra tempus mortis, & Paschatis, posse hodie, saltem ex præsumpta voluntate Parochorum, sumere Evcharistiam in quibuslibet Ecclesiis, sive Sæcularium, sive Regularium; Ecclesie autem nomine intelliguntur omnia illa loca, ubi legitime celebratur, quæ sunt triplicis generis; vel enim sunt consecrata, vel benedicta, vel ad sacrificium celebrandum legitime deputata.

19. Et quidem licet olim in *Clementina 1. de privilegiis excommunicentur Religiosi ministrantes Evcharistiam sine Parochi licentia*; hodie tamen ipsis non solum faveat dicta Parochorum præsumpta licentia, verum etiam privilegia ipsis concessa à Sancta Sede, pro danda Evcharistia Sæcularibus, pro devotione communicare volentibus, etiam intra Conventus suos, id quod limitare ipsis non posse Episcopum, aliqui putant apud Dianam *part. 9. tract. resol. 8. & 9.*

*An communicandum in Oratoriiis privatis?*

20. **S**ed inquires primò, Quid in Oratoriiis privatis sæcularium, ubi ex privilegio solet celebrari sacrum?

Respondeo; certè illam ego regulam darem, ibi posse Fideles communicare (nisi adsit aliqua expressa prohi-

bitio) ubi Missa celebratur, idque factem ex eadem præsumpta Parochorum voluntate, qui in communionibus voluntariis, seu ex propria devotione, facile concedere supponuntur hanc libertatem: ut ex hac commoditate frequentius Fideles communicare velint. Adde, Communionem adstantium esse veluti panem Sacrificij; unde in primitiva Ecclesia omnes quotquot Missæ intererant, communicabant. Verùm id non est Oratoriiis privatis concedendum cum notabili concursu: id enim non præsumi debet Parochus, velle.

21. Quando ergo per Bullam Cruciatæ (ut docet Valquez, licet neget Suarez) conceditur, ut extra Pascha possit ab habente Bullam sumi Evcharistia à manibus cujuscunque Sacerdotis; id conceditur, vel ad tollendos scrupulos, vel pro sustinentibus Suarj, hoc est, contrariam sententiam, vel in raro casu, quo expressè invitus Parochus esset.

*Ubinam communicare debent*

*Græci: & an semper in fermentato?*

22. **I**nquires tertio, quid de Græcis? Respondeo: Sine dubio etiam ipsi obligantur ad communicandum ex manibus sui Pastoris in Paschate, & in periculo vitæ; ex devotione autem in templis suis. Verùm, quod queritur de Græcis, illud est; an ipsi possint legitime, sive ex devotione, sive in Paschate communicare in azymo, idque in templis Latinorum? Ex hac occasione item queritur, an possint

Ec 3

Latini



Latini in fermentato, idque in Græcorum templis?

23. Respondeo cum necessaria, tripartita distinctione: nam vel Græcus est in partibus, seu locis Orientalibus, ubi nullum sit templum ritus Latini; & Latinus est in partibus Occidentalibus, ubi nullum templum sit Græci ritus; & tunc quisque debet in suo ritu communicare: quia hæc est gravissima, & universalis consuetudo harum Ecclesiarum, atque à pluribus Pontificibus confirmata.

24. Solùm excipio casum, in quo moribundus Græcus inveniretur alicubi, ubi non esset ritus, & Sacerdos Latinus, ibi fortè peregrinus, & celebrans in azymo; tunc enim ex pietate S. R. Ecclesiæ præsumendum est, ne sine viatico hic decedat, ut possit communicare in azymo. Simile quid erit, si, contra, Latinus moribundus inveniretur in loco, ubi solus esset ritus, & Sacerdos Græcus.

25. Vel Græcus est in Latinis locis, ubi templum sit Græcorum; uti est hęc Panormi Templum Sanctæ Sophiæ ritus Græci, & Latinus est in locis Græcis, ubi sit templum Latinorum Latini ritus; & tunc dico ex antiquiore consuetudine Græcum græcè, Latinum latinè, communicare debere; quia ad hoc concessa sunt dicta templa, ut quisque communicet in suo ritu.

26. Dixi ex antiquiore consuetudine, nam ex recentiore in nostro Siciliz regno introductum est, ut Græcus possit communicare in azymo in Latinis Templis; id enim ego pluries observavi; licet nondum viderim,

quòd Latinus communicet in fermentato in templis Græcorum. Ratio fortasse est, quia faciliùs conceditur Græcis Fidelibus, conformare se cum ritu Latino, qui est ritus universalis, & capitæ, quàm Latinis, se conformare cum ritu Græcorum, qui est ritus peculiaris Ecclesiæ.

27. Vel denique Græcus versatur in Latinis locis, ubi nullus est ritus, seu templum Græcum, & Latinus in locis Græcis, ubi nullus est ritus, seu templum Latinum; & tunc poterit Fidelis communicare eo modo, quo ibi potest, neque enim huic præsumitur Ecclesiæ communionem denegare.

28. Hæc de fidelibus communicantibus; cæterum de Sacerdotibus quomodo Græci Græcum ritum, Latini Latinum ritum observare omninò debeant, cum majori rigore proceditur, idque propter Concilij Florentini autoritatem, & Pij V. Constitutionem, ut in tract. de Missa latè declaratur, Interim legite Suarium de Euchar. disp. 3. sect. 3. Layman lib. 5. tract. 4. cap. 2.

## CAPUT VII.

*Quinam communicandi? An Pueri?*

1. **P**ueri usum rationis habentes (nam infantes illà carentes omninò excluduntur) an statim sint ad communionem vocandi? duplex est sententia. Altera docet non statim, sed post ætatem inter decimum, & decimum quartum annum, quia ad Com-



monitionem concedendam, major rationis usus requiritur, quàm ad alias leges servandas, ad confessionem annuam e. g. ad Missam audiendam, & similes, ad quas satis est communiter ætas inter septimum & octavum annum; cujus diversitatis ratio est, quia pro comm. in e. omnis utriusque sexus tertur præceptum sub hac forma ( *suscipiens reverenter Eucharistia Sacramentum* : ) illud enim ( *reverenter* ) majorem dictam rationis discretionem ostendit. Ita Suarez, aliique apud Joannem Sanchez mox citandum.

2. Altera docet statim, quia non major rationis usus requiritur ad Communionem, quàm ad Confessionem, aliàsve leges observandas; si enim pro Communionem requiritur notitia differentie inter cibum, & cibum, sanè pro confessione requiritur cognitio inter actiones bonas, & malas. Item cognitio offensæ Dei, doloris peccatorum, &c. Ita Joannes Sanchez latè id probans *disp. 16. & Castropalaus de leg. disp. 1. punct. 24. §. 2. n. 7.* cum plerisque aliis; & ita videtur esse praxis etiam timoratorum, hanc posteriorem sententiam, tanquam probabilioris meriti sequentium.

Mendoza *de Euchar. lib. 20. sect. pr. num. 85.* Regulariter (ait) neminem ante decimum obligari censeo: immò ferente usu, viri ante decimum-quartum annum, fœminæ ante duodecimum non obligantur. Ita Navarr. & Corduba. Hæc ille; sed certè in nostris locis ejusmodi usus non est.

3. Sed inquires, obligandine ergo pueri sunt ad communionem in Pa-

schate? Respondeo, cum utraque sententia sit probabilis ex jam dictis, poteris cum Joann. Sanchez omnes obligare ad communionem paschalem post septennium: poteris cum Suarez eosdem eximere utque ad decimum inter decimum quartum annum. At ad multò plus non puto probabile: quia tunc regulariter habetur satis rationis, & discretionis.

4. Instante morte omninò sequere sententiam hanc posteriorem, ita ut si adsit in ipso septennio, immò etiam antea, rationis usus, communicetur puer in tanta mortis necessitate.

5. Quid si non sufficienter adsit ratio, & dubitetur à Confessario, seu multò magis à parentibus, & magistris, qui meliùs filios, discipulosque cognoscunt?

6. Respondeo, Ego sanè in hoc dubio faverem puero, & ei communionem concederem: si enim in primitiva Ecclesia concedebatur ordinariè infantibus Eucharistia susceptio; cur non instante morte, pueris, in quibus elucere incipit rationis usus? Sanè de Lugo *disp. 13. de Eucharistia* solum dicit, posse dari communionem hujusmodi puero. Sed Delgadillo *cap. 2. de Eucharistia cap. 1. num. 77.* ait, debere.

7. Subinquires, cum *cap. Omnis utriusque sexus* infligat non communicantibus in Paschate pœnam privationis sepulturae, & ingressus in Ecclesiam, atque in aliquibus Diœcesibus fulmineatur excommunicatio, peccantne moraliter, dictasque pœnas incurruunt pueri, plena ratione utentes, e. g.

in bibli...

BVRIN

in

de præcepto

VARRI

de

E III

30. b.



e. g. duodennes, si tunc non communicent?

8. Respondeo, quod peccent, certum est: quia omnis Fidelis ratione fruens subditur legibus Ecclesiasticis. At probabile est, quod non incurrant dictas pœnas, quia Mater Ecclesia ante pubertatem, quæ est ætas quatuordecim annorum completorum in masculis, duodecim verò completorum in fœminis, nulli vult suas pœnas infligere, ut colligitur *ex cap. Pueris de delictis puerorum*, de quibus pronunciat, illos quidem peccare; sed additur, quamvis in eis non ita, ut in majoribus punienda peccata videantur. Ita plures apud Leandrum *tract. 7. disp. 3. quæst. 9.* contra Coninch, alioque oppositum sentientes,

*An semisati, vel stulti?*

9. Semisatos voco illos, qui imperfecto usu gaudent rationis, quales esse Æthiopes solent: his communicatio concedenda est, si irreverentia non timeatur, & quidem multoties in anno, omninò autem in Paschate, & in fine vitæ. Ratio est, quia non apparet, und pro his adsit prohibitio, vel non urgeat Præceptum.

10. Nec obstat debilitas rationis, dummodo irreverentia absit; nam his non est denegandum augmentum gratiæ, quod à communione speratur; quemadmodum nec deneganda est confessio, aliorumque Sacramentorum participatio.

11. At hi minore aliquando rationis usu fruuntur, quam pueri de-

cennes, quibus verant aliqui communionem?

Respondeo. Pro pueris est spes perfectioris iudicij, sed in huiusmodi stolidis hæc spes non est, arque adeò semper essent prohibendi.

*An qui evaserunt fatui post adeptam rationem?*

12. Horum duplex est classis: Altera, quæ habet aliqua lucis rationis intervalla; altera verò, quæ postquam rationem amisit, nunquam habet usum aliquem rationis.

13. Dico, hos utrosque, si absit periculum irreverentiæ, frui posse communione, tum aliquoties infra annum, tum in Paschate, tum multò magis in vitæ fine, modò in amentiam non inciderint, dum in peccato erant mortali. Ratio huius doctrinæ est, quia hi sunt capaces receptionis Sacramenti, & augmenti gratiæ; ergo amoto impedimento irreverentiæ, & præsumptione status peccati mortalis, non apparet, cur illis interdicenda sit perceptio communionis. Ita piè, & probabilius docet Villalobos *in man. cap. 4. n. 17.* aliique cum Diana *part. 2. tit. 14.* Id, quod præsertim servari potest cum Religiosis, qui solent bonos habitus retinere, reverentiàmque debitam Sacramento.

14. At unde cognoscam, aliquem fuisse factum amentem in statu malo?

15. Respondeo. Vel nescis, utrum ante amentiam mortaliter peccaverit; & tunc præsume, esse in bono statu, nam quisque naturaliter præsumitur esse bonus, *Capite dudum deo*

*Præ:*



*Præsumpt.* vel seis, deliquisse mortaliter, nulla Confessione Sacramentali præmissa, & tunc, si non habes positiva argumenta, seu signa pœnitentiæ, quæ certè in habente rationis intervallo haberi possunt (ut percussendo pedes, tollendo supplices manus, dicendo Misere, &c.) tunc, inquam, si aliquod ex his signis non adest, præsumitur esse in statu malo, nam malus semper præsumitur esse malus *ex reg. 8. n. 6.* Sic habet Gobat *de Euch. casu 8.*

16. Scio tamen Leandrum *tract. 6. disp. 6. quæst. 13. & 14.* docere, esse probabilius, prædictis omninò amenibus, qui olim rationis usu potiti sunt, non posse porrigi Eucharistiam, nec in tempore quidem Pæschali, sed solùm in articulo mortis. At unde hoc discrimen? Respondeo, quia pro necessitate illius articuli, cedit reverentia, quæ alias magna debetur Eucharistiæ, quæ cedere non debet, quando illa necessitas non urget: Scio, inquam, hæc, sed quia posse eo pæschali tempore porrigi, ipse idem fatetur *ibid.* & modò dixit Villalobos, ideò ego cum alijs dico, magis piè posse porrigi, cedit enim benignissimus Dominus magnæ sibi debitæ reverentiæ, propter magnam bonum illius infelicis amentis, modò positiva irreverentia non timeatur, nec malus status ejusdem, ut diximus, impediatur.

17. Dicitur est autem (posse) nam minimè obligabimur (quamvis obliget Delgadillo *cap. 2. de Eucharist. num. 87.*) quia sententia, quæ negat posse, cum sit etiam probabilis, sequi eam turò valemus pro dicto tempore.

*Tambur. de Præcept. Eccles.*

infra annum, & tempore pæschali: Nam pro articulo mortis ijs, qui olim usi sunt ratione, & non constat, esse in statu malo; omninò danda est, si non est timor irreverentiæ, Sacra Communio, sicuti etiam Sacra Unctio, ut habes apud Casparum Hurtadum *disp. 9. de Euch. diff. 20.*

18. Ut videas autem, an periculum sit prædictæ irreverentiæ potes, alteram, & alteram, & quoties opus videtur, Hostiam non Sacram illi porrigere, ad experiendum, num illam tractet indignè, ut rectè docet Layman *lib. 5. tr. 4. c. 5. n. 4.*

19. Inquires, si ijs omninò concedenda est, modo explicato, instante morte, communio, estne etiam tunc concedendum Sacramentum Pœnitentiæ, quod est præparatio ad illam?

20. Respondeo, quandoquidem hi, de quibus agimus, vel habuerunt usum rationis, vel gaudent per intervalla eius usu, piè præsumendum est, eos aliquo interno actu se præparasse: quare addito externo signo, quo scilicet hi vixerint Christianè, & nunc sint in fine vitæ, ob quæ probabiliter ostenditur, ipsos per has circumstantias petere Sacramentum Pœnitentiæ: poterit, ajunt nonnulli, conferri conditionata absolutio (si scilicet est capax absolutio) & deinde communicari, sicuti moribundis omni sensu destitutis dari posse in simili casu dictam conditionatam absolutioem, probabile tenent apud Verricelli *tract. 6. quæst. 9. mor. sect. 2.* viginti fere DD. Lezana, Diana, Baldelli, Bordonius, Naldus, Aversa, Leander, Caramuel, alijque

F f

intè

IBVRIN

in

de præcepto

VARRI

de

E II

30/b



inter quos est etiam Pellizarius, qui *tr. de mor. cap. 10. num. 204.* ait, viros fide dignos testari, hanc sententiam docuisse privatim Suarez, illamque ad praxim redegit.

21. Tenentur tamen ab his, qui sunt amentes per intervalla, aliquem actum doloris extorquere, prout dicta prudentia dictabit; immò etiam ab alijs amentibus post usum rationis; potest enim fieri, ut in fine vitæ aliqua rationis lux affulgeat, vel affulserit.

22. Quod dictum est, instante morte, de conditionata absolutione his conferenda ante Communionem, servari etiam debet intra annum, & in Paschate, quando sequeris opinionem Villalobos, his communionem modò dictam concedentis.

*An omninò fatui, id est, qui nunquam potiti sunt ratione?*

23. **H**is perpetuò amentibus, ex communi sententia, neque infra annum, neque in Paschate, neque in fine vitæ, hoc est, neque ex obligatione, neque ex devotione concedenda est communio. Ratio est, quia quoad obligationem ipsi sunt incapaces legum, vel præceptorum, sicuti sunt infantes; quoad devotionem verò, quia id consuetudine prohibitum est, ut habet Caspar Hurtadus *disp. 9. de Eucharist. num. 42.* Confessio autem, & extrema unctio, ideò his non potest dari; quia cum hi non possint peccare, non sunt capaces horum Sacramentorum.

24. Dixi (ex communi sententia) nam lego Delgadillum concedentem *cap. 2. de Euch. n. 82.* quem si est otium, lege.

*An Phrænetici?*

25. **V**el hi fruuntur lucidis intervallis, & communicari poterunt, sicuti de fatuis similibus dictum est *num. 13.* vel continuato furore nunc agitantur, olim tamen usum rationis habuerunt; & de his etiam idem dicendum erit, quod de similibus amentibus, tum quoad communionem, tum quoad confessionem dictum est.

Sed timeo, ne Sacram Hostiam indignè traheret phræneticus.

Respondeo. Præbe non sacram, quam si modestè deglutiat, porrige, & sacram, ut diximus *num. 13.* & habet etiam Diana *part. 2. tract. 14. ref. 44.* hanc vocans praxim optimam. Sed adhuc timeo, ne manus, pedesque tanto impetu jactet, ut ad ipsum accessus non pateat.

Respondeo cum Joan. Sanchez *disp. 48. n. 4.* expetire, an ligatus res comestibiles sumat.

Sed 3. graviùs timeo, quia audio illum horrende blasphemantem, & si dem profiteri nolentem.

Respondeo de hoc mox *num. 21. & seq.*

*An Epileptici?*

26. **E**pileptici (qui ij sunt, quos idem entidem corripit morbus caducus, vel similis) quando non instantur parocismo, sunt communicandi; quia hic morbus non est communionis



nionis impedimentum, At quando infestantur hujusmodi accessione morbi, licet videantur penè mortui, non sunt communicandi, quia ex centum vix unus ex his, ut observant Medici, in eo confictu potest prudenter sperari, quod Hostiam deglutiat. Si tamen aliqua luceret spes, & esset periculum mortis, posset fieri experientia cum Hostia non Sacra, ut modò dictum est in simili.

*An Energumeni.*

25. **E**nergumenis, sive omnibus, si ve aliquibus, propter decen-  
tiam negabatur olim Evcharistia: parti-  
cipatio; postea tamen concessa est ex  
Concilio Arausicano cap. 14. Danda  
igitur illis, si devotè petant, tum in an-  
no, tum in Paschate, & sine vitæ:  
modò, ut sæpè dictum est, non adfit  
periculum irreverentiæ vel præsumptio  
mali status.

28. Sed in fine vitæ meus Energum-  
enus quandoque nec petit, nec reve-  
renter se habet, immò horrendè blas-  
phemat.

Respondet Joann. Sanchez *disp.* 38.  
*num.* 8. agens de phrænetico blasphemante, & fidem negante, ait, non esse de his blasphemis laborandum; quia non ipse, sed vis morbi eas effundit. At Leander *tract.* 7. *disp.* 6. *quæst.* 17. docet, huic non esse porrigendam Evcharistiam, ne in articulo quidem mortis, si tunc in blasphemias prorumpit; quia hic non accipit reverenter, ut tantum Sacramentum decet. Quid de scandalo adstantium?

29. Ego absolute neutrum ex his laudo, neutrum vitæpero, sed docto, & pio Confessario rem decernendam, in casu occurrenti remitto, qui ex qualitate personarum, & earum ante actæ vitæ bonitate, vel improbitate, & ex similibus circumstantijs, videat, cui neganda, cui indulgenda communio.

30. Et quidem si concedet, doceat pius Confessarius adstantes de probabili doctrina: explicet, illam irreverentiam esse involuntariam, & blasphemias à malo dæmone procedere; modò, ut nimis sæpè dictum est, non adsit irreverentia alia, qua malè tractandam esse Sacram Hostiam, timeatur.

*An surdi, & muti ex nativitate?*

31. **H**is regulariter concedenda est communio: quia cum hi soleant esse perspicacioris judicij, facile possunt edoceri de substantia hujus mysterij; licet enim fortè non percipiant omnia, quæ ad illud pertinent; nihilominus, si cognoscantur ad illud accedere, non tanquam ad cibum profanum, sed ut ad spiritualem conferentem animæ salutem &c. hoc, vel simile quid sufficiet, ut possit eis ministrari in ætate competenti Evcharistia. Ita notat Layman *loc. cit. cap.* 2. *num.* 5. Igitur his, & multò magis illis, qui non sunt tales, præbeatur omnino in Paschate, & in articulo mortis, imò sæpiùs in anno ex Diana *p.* 5. *tract.* 6. *resol.* 6. pro ratione pietatis, quam in eis Confessor advertet.

32. At si quis sit mutus, surdus, & & cæcus à nativitate, adnumera illum

Ff 2 inter



nter perpetuò amentes, nec enim videtur, posse hunc edoceri res sacras. Ita Gobat *loc. cit. cas. 7.* Vide supra *intr. de aud. Sacri c. 1. n. 29.*

33. Inquires, illi turdo, & muro, cui concessimus comunionem, concedemus item confessionem.

34. Respondeo. Layman citatus cenlet, non esse talibus extra mortis articulum, impendendam absolutio- nem, nisi aliquid in specie peccatum proliant Confessario. Ego verò cum Sylvestro, verbo *Confessio p. quest. 13.* contentus essem manifestatione alicujus peccati in genere; quòd si id non posset, ut ijs impenderem absolutio- nem, aliquoties etiam intra annum, sub conditione, contentus essem signis penitentiae, quæ diximus supra *num. 15.*

*An laborantes lepra, vomitu,  
& ruffi?*

35. **I**N cap. *Tu nos de Clerico Egro- tante* prohibetur leprosis com- munitio; sed profectò hic Canon in u- su non est. Quare si horrorem aspicientibus pariant, communicent priva- tim; Immo hodie etiam publicè, quia nec scandalum, nec notabilis horrore confurgere solet.

36. Quoad vomitum, nota. Quando stomachus ita est affectus, ut rejiciat statim omnem cibum in pro- pria specie, non est is communicandus; si non rejiciat statim, sed solùm post u- nam circiter horam, communicetur: quia intra horam unam consumuntur species Sacramentales ex Joann. San- chez *disp. 38. num. 2.* præsertim parvæ

particulæ. Immo Jordanus *lib. 4. tit. I. num. 13.* mutari putat intra dimi- dium quadrantis unius horæ (quæ ta- men opinio videtur in praxi non am- plectenda.) Adde, posse item, dari partem particulæ parvæ, quando com- munitio esset pro Viatico. Posset fieri experientia etiam per parvum particu- lam non consecratam, infusam in ali- quem liquorem, si absque hoc deglu- tire infirmus nequeat; esto, sit mora- liter certum, liquorem acceptum citius deglutiri, ac descendere.

27. Nota 2. Si vomit dumtaxat cibum copiosè sumptum; at sumptum parve, retinet, nihil timendum.

38. Nota 3. Si stomachus per se- cessum emittit cibum omnem planè im- mutatum, nefas est communicare cum tanti periculi irreverentia

39. Sed sic inquires, omnibus consideratis, dubito, an intra horam moribundus rejecturus sit Sacram Ho- stiam?

Respondeo. Experire, porrigendo Hostiam non consecratam, quam si per horam servet, porrige sacram. Ita Diana *p. p. tr. 3. n. 55.*

40. Verùm facta hac, variisque diligentis, dubius remaneo?

Respondeo. Communica illum: quia ut notat Gobat *loco cit. casu 10.* in dubio satius est, exponere Sacramen- tum periculo irreverentiæ mater- rialis, quàm certò infirmum private fructu Viatici; profectò bonum Do- minum habemus.

41. Quod si fortè contingat, Sa- cram Hostiam deinde rejectari, defe- renda illa erit in Sacrarium, & purgata, quan-



quantum moraliter potest, servetur in tabernaculo sacro, donec contumpeatur, sicuti similiter de Hostia vermicibus abrota fieri consuevit.

42. Dices, cur non comburenda statim?

Respondeo. Quia nimia esset irreverentia, dum Christus Dominus in ea Hostia latet, eam comburere: quare comburenda solum erit, postquam erit corrupta. Sanè Sylvester *v. Euchar.* 9. 9. §. 2, loquens de Sacratissimo Sanguine effuso, ait, illum comburere, esse immane Sacrilegium. Si quis jejunos, & in statu gratiæ illam Hostiam sumere non horreret, singularis esset reverentiæ actus.

43. Inquires secundo. Accepta ritè communionem, post illam adverto, me indigere, vomitum provocare: quando nam licet?

Respondeo. Licere post horam regulariter, quia tunc sacra species sunt jam digestæ, seu immutatæ.

44. Dixi (regulariter) nam si advertas, venenum impfisse in sacris speciebus, vel vino ablutionis, vel aliunde, poteris statim evomere, quia benignus Dominus mortem communicantis non vult. De illis speciebus fiat, quod modò dictum est n. 41.

45. Quare si statim peracta communionem incidas in febrem, & Medicus, vel expertus te consulat, te repletum e. g. ex cibo externo indigere vomitu; puto distinguendum: nam in casu, quo timeres mortem, vel gravem morbum, evomere statim posses, quia humor ille vicem haberet veneni: Secus, expectanda est hora. (Quod re-


gulariter faciendum erit,) quia tunc tantum periculum non adest.

46. Quoad tussim, ut etiam spuendi frequentiam, sic habes. Materia, quam post communionem expuis, quando descendit in os ex cerebro, qualis est saliva ordinaria, nihil nocet: quando autem ascendit ex immopectore, ut accidit aliquando; nihil item nocebit, si materiam illam expuas post receptam Sacram Hostiam in stomacho: secus, si adhuc hæreret in guttore.

47. Sed quæres, quamdiu jure timebo, quod ibi hæreat?

Respondeo. Certè sufficere illud tempus, quo possit recitari dimidium Salutationis Angelicæ (nisi anima in aliquo moribundo, quasi sit in labiis) ait Gobat, *causa* 11, addens: cavendum tamen esse, ne circumstantibus sumus scandalo: & insuper decere, sputum sudariolo excipere, si intra quinque Pater & Ave spuendi te ardor invadat.

48. Sed horrenda est tussis mea? Respondeo ex eodem. Si tussis est sicca, nihil angaris; si flegmatica, cohibe te saltem per duo Pater & Ave; vel deglutias, quod de guttore in os ascendit? vel si nequeas, excipe sudariolo, ut dictum est: nisi clarè constet, Hostiam in guttore, vel in dentibus hæsisse, id quod non solet post dimidium Salutationis Angelicæ, ut diximus.





## CAPUT VIII.

*Qua necessaria dispositione spiri-  
tualis communicandum?*

1. **A**D dignam Communionem requiri statum gratiæ, saltem prudenter existimatum, id est, quod communicaturus bona fide existimet, se esse sine labe peccati mortalis; nimis certum est inter Catholicos, juxta illud illud Apost. *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edas.*

2. Habemus deinde à Tridentino sess. 13. c. 7. sequentem dispositionem: *Nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque premissa confessione Sacramentali ad Sacramentum Eucharistiæ accedere audeat, etiam Sacerdotes, modò non desit illis copia Confessoris. Quod si necessitate urgente, ante præviā Confessionem celebravit, quamprimum confiteatur.*

Circa, quæ quatuor sunt à nobis in sequentibus quæstionibus declaranda. Primò, quæ pertinent ad statum gratiæ. Secundò, quæ ad necessitatem urgentem. Tertio, quæ ad carentiam Confessoris. Quarto, quæ ad Confessionem, quamprimum faciendam.

*Quæ pertinent ad statum gratiæ.*

*De negativè dubio de suo Peccato.*

3. **I**Nquires primo, an qui dubius est negativè, an mortaliter peccaverit, seu, an mortali sit gravatus, possit communicare sine prævia confessione

ne ejusmodi peccati? Tunc autem dubitat quis negativè de suo peccato, quando nec certitudinem habet, nec probabilitatem, illud commississe, consensum e.g. præbuisse turpi cogitationi; sed nec habet certitudinem, nec probabilitatem non commississe; quomodò solemus dicere, nos dubios esse, an paria fiat, an imparia arena matris grana.

4. Respondeo. Sanchez, Bonacina, & Diana, aliique, quos citat, & sequitur Leander *tract. 7. disp. 6.* docent, non posse; sed prius debere, te illud dubium peccatum confiteri, & ab illo absolvi. Ratio est, inquit, quia ante communionem debemus Confessario manifestare omnia peccata, quæ suo tempore, etiam præscindendo à futura communionem, tenemur confiteri: atqui suo tempore tenemur peccata dubia fateri, ergo ea confiteri opus erit ante communionem.

5. Henriquez verò, Granado, Sæ, aliique apud eundem Leandrum, quibus adde Caramuelem in *Theolog. fund. 137.* docent, non teneri, nos confiteri peccata dubia ante communionem, latisque esse, si ea suo tempore confiteamur. Id quod addunt, ut effugiant illam quæstionem, an peccata dubia teneamur confiteri; esto enim, inquit, teneamur suo tempore confiteri, at non tenemur ante communionem. Ratio est, ajunt, quia Tridentinum *loco cit.* solum obligat ad confitendum illud mortale, cujus sibi quis sit conscius. Et *Can. 11.* obligat eos ad Confessionem, quos gravat conscientia peccati mortalis; sed qui dubitat,



non est conscius peccati mortalis, nec eum gravat conscientia, id est, scientia peccati mortalis; ergo.

6. Monent tamen Authores ejus posterioris sententiæ, omnino esse necessarium, si in fine vitæ incidas in peccatum dubium post ultimam confessionem, te debere, vel actum contritionis elicere, vel novam confessionem præteritorum facere; ut nimirum certò absolvatur indirectè illud peccatum dubium; si fortè coram Deo certum mortale sit: (nam per sumptionem Eucharistiæ non est certum, sed solùm probabile, remitti per accidens mortalia) ut rectè Fagundez *Præcepto Eccles.* 6. 4. n. 6.

7. Ex his duabus sententiis ego hanc posteriorem concedo scrupulosis; quos communiter nosco, agnoscere peccatum, ubi peccatum non est. Illam verò priorem in praxi suadeo cæteris.

*De eo, qui confessus est peccatum, & dubium?*

8. **A**N qui peccatum suum confessus fuit, ut dubium, si deinde advertat, fuisse certum, deceat illud ante communionem, ut certum, confiteri.

9. Respondeo, Doctrinam Dianæ *part. 9. tract. 6. resolut. 6.* esse multoties aliorum probabilius censentium, hunc debere peccatum illud confiteri, ut certum, ante communionem: tamen contraria sententia docens, hanc obligationem non adesse, habet multos Doctores, probabiliter sentientes non obligari. Ratio prioris sententiæ est, quia ante communionem debent Fide-

les ex Tridentino modò allato omnia peccata, quorum quis est conscius, confiteri. Ratio posterioris est, quia is jam confessus est sufficienter ante communionem illud peccatum.

10. Hanc posteriorem sententiam improbat Thomas Hurtadus *tract. 12. mor. cap. 1. dub. 8.* & nimis excedit in ejus censura. Verùm qui optat hujus posterioris sententiæ confirmationes plures habere, legat Ferantin. *de scandalo disp. 1. q. 77.* quorum nos mentionem fecimus *in dict. tract. de Confessione c. 9. num. 24.*

*De eo, qui ante Communionem recordatur alicujus peccati oblitus in Confessione,*

11. **I**nquires tertio, An qui ritè confessus est sua peccata, sed ante Communionem recordatur, se jam oblitum fuisse alicujus peccati mortalis, certò à se commissi; an, inquam, obligetur, hoc peccatum oblitum fateri, antequam ad Communionem accedat?

12. Respondeo, & quidem antè advertendum est, huc non adduci questionem illam, an ejusmodi peccatum oblitum obligetur Fidelis suo tempore fateri; hoc enim certum est, quia, ut supra innuimus, omnia peccata mortalia obligantur subdere clavibus, sed nostra dubitatio in eo versatur: An is, qui peccata sua bona fide confitetur, & ritè dolet ex motivo modò dicto universaliter, cadente etiam in oblitum, quo pacto illud peccatum indirectè absolutum fuit, & homo consequenter positus in gratia, inquam, is possit licitè

Ev.



Evcharistiam sumere, & postea suo tempore illud peccatum, de novo commemoratum, clavibus subdere?

13. Respondeo ad quæsitum. Ferrantinus *cit. tota quæst. 8.* dicit, esse probabile, non adesse hujusmodi obligationem, satisque esse, si postea suo tempore. Ratio principalior est, quia ideo confessio præmittitur, ut poenitens statum gratiæ acquirat: hic autem jam per confessionem prædictam gratiam sanctificantem obtinuit; ergo alia ad id pro modo non indiget; & ex alia parte jam servavit præceptum Tridentini de præmittenda confessione ante communionem; quia is præmisit confessionem, licet in ea oblitus bona fide sit alicujus peccati. Pro hac sententia hic Author affert Corneio, poteratque etiam adducere Reginaldum, & Præpositum; quos, eos non sequens, citat Dianap. 9. tr. 7. ref. 4.

15. Verùm non est audiendus, tum quia, ut notat De Lugo *disp. 14. de Evchar. a. n. 127.* obstat praxis Fidelium, ex qua colligitur præceptum de præmittenda communioni confessione, non esse solùm de ea præmittenda integra formaliter, & bona fide; verùm etiam (postquam advertimus) materialiter: tum quia opinionem illam primam, quam secutus est Ferrantinus, fuisse expunctam, refert Campensis apud Dianam loc. cit. tum ab Indice Expurgatorio Inquisitionis Hispanicæ; tum per edictum peculiare ab eadem Inquisitione fuisse reprobata; tum denique in ordinationibus pro studiis Soc. Jesu mandat, ne hujusmodi opinionem in nostris scholis doceamus.

*De Communicante cum pluribus vel cum gravioribus peccatis.*

15. Inquires quartò, gravius ne peccat, qui communicat cum multis, quàm cum uno mortali; vel qui cum enormioribus, quàm qui cum minus enormibus.

Respondeo sine dubitatione gravius, quia magis indignè. Verùm quia hæc majoritas non affert speciem diversam peccati (semper enim est sacrilegium circa reverentiam Christo Domino debitam; ) ideo in Confessione non est necessariò explicanda, sed satis est dicere; indignè communicavi. Sicuti simile quid asserimus de communicante post assumptum cibum; neque enim opus est explicare, an post assumptum laudè cibum, an parè, cum sufficiat, sic fateri; *Non jejunus communicavi.*

16. Subinquires, si quis non jejunus communicavit, quod est contra præceptum humanum Ecclesiæ, & idem gravatus culpa mortali, quod est contra præceptum Divinum de Cultu debito Christo Domino, duo ne peccata commisit, separatim in Confessione explicanda?

17. Respondeo. Duo separatim explicanda docet Suarez *disputatio 66. de Evchar. sess. 1.* quia sunt duæ deformitates. At Caspar Hurtadus *disputat. 9. de Evchar. diff. 1.* quem sequitur De Lugo *disp. 14. citat.* satis probabiliter docet, esse unum peccatum, quia quoties præcepta multiplicantur ex eodem motivo, culpa contra ipsa non multiplicatur; Cum ergo idem sit motivum illo-



istorum duorum præceptorum humani, & divini, nempe debita reverentia DEO, unum erit peccatum; quod hoc, vel simili modo explicabis; *indignè graviter communicavi.*

18. Quid, si ita confitereris: *Aliquod Sacramentum suscepi indignè, sufficienter ne satisfacerem Sacramento Confessionis?*

19. Respondeo non satisfaceres, quia juxta S. Thomam 3. q. 9. 8. art. 5. sacrilega communio injuria afficit ipsammet humanitatem Christi, habetque aliquam similitudinem cum scelere, quo Judæi ipsum crucifixêre, & quo nefarius quispiam projiceret ad canes, vel in loca lordida Evcharistiam, quæ certè immediatè injuriæ facit diversam specie culpam ab ea, qua quis indignè recipit alia Sacramenta; in qua receptione non adest dicta injuriæ immediatè.

20. Hinc obiter colligo cum eodem D. Thoma, hoc peccatum communicandi cum mortali esse atrocius, quàm quodlibet peccatum contra homines admissum; quia nimirum est circa ipsam Christi humanitatem immediatè; non tamen esse atrocius peccato odij DEI; vel peccato, quo negetur DEUS; per hæc enim ipsa divinitas immediatè offenditur, per illud verò immediatè humanitas.

21. Hoc, quod colligo ex S. Thoma approbat Vasquez, Gaspar Hurtadus, alijque contra Suarez & Fagundes citatos à Delgadillo *cap. de Evch. sub. 9.* putantes, aliquod peccatum contra homines, e. g. homicidium, esse atrocius, quia affert damnum irrepara-

*Tambur. de Præcept. Eccles.*

rabile; sed hi non placent, ut videre est apud Delgadillo *loc. cit.* quia atrocitas non attenditur ex damno illato, sed ex injuria offensi.

*De accedente ad communionem cum veniali.*

22. **I**nquires quintò. Accedere ad Evcharistiam cum peccato veniali, est ne peccatum veniale? Non esse peccatum mortale omnes sciunt.

Accedere ad communionem cum veniali, duplici modo, quantum facit ad nos, esse potest. Primò, si quis comitanter, id est, comitatus, seu infectus veniali actuali peccato accedat e. g. si dum actu retinet voluntatem mentendi jocose, communicat. Secundò, si quis, cum aliqua, vel multa venialia commiserit, de illis nequaquam displicens, communicat.

23. Utroque modo ad communionem accedere, non esse peccatum veniale, tenet Vasquez *de Evcharist. disp. 207. num. 18.* quia peccatum veniale non impedit gratiæ effectum producendum ex opere operato ab Evcharistia, ut omnes Theologi tenent; venialis enim culpa, gratiæ, & amicitia DEI non opponitur; & ex alia parte, quamvis melior, & devotior esset dispositio accedere sine ullo veniali ad communionem; tamen Fideles non obligantur ad illam affectu omnem devotionem, & dispositionem ipsis possibilem, sed solum ex Tridentino immunitatem à mortalibus.

24. Esse veniale, tenet de Lugo *de Evcharist. disp. 14. num. 31.* citans Suarez quia aliqua irreverentia est, cum

Gg

cum



cum ejusmodi maculis, quamquam levibus, ad divinum hoc convivium intrare.

25. Sed certè hoc ipsum debuisset de Lugo probare, quòd scilicet Fideles obstringantur sub veniali, maculas illas exiguas ad communionem non afferre.

*Communicare cum mortali,  
an aliquando possit sine  
Mortali?*

26. **I**nquires sextò. An sit aliquis casus, in quo sine mortali possit quis cum mortali communicare?

Respondeo: esse casus duos, alterum mihi, & omnibus certum, alterum aliquantulum controversum.

27. Primò enim, si irruente infidelium turba, vel ex incendio, aut simili eventu timeretur Sacrae Eucharistiae contemptus, vel irreverentia; tunc Fidelis quicumque etiam laicus, si praesto nequaquam sit Sacerdos, nec in illa subita irruptione, vel incendio valeret, se conterere; posset, immò deberet, quamvis peccato mortali sordidatus, ad evitandam injuriam, vel combustionem tanti Sacramenti, illud sumere: idque etiam si jejunus non esset. Ratio tantae licentiae est ipsa eadem reverentia Sacramento debita: cujus ratio vincit illa praepcepta, si moraliter haec in illis angustijs servari nequeant. Ita Dicastillus disputat. 9. de Eucharistia num. 6.

28. Secundò est controversum, an si Sacerdos, incepta bona fide missa, recordetur, se peccato mortali gravari, & quamvis conetur, non posset, seu ex-

periretur sibi actum contritionis, quem tunc elicere omninò deberet, esse valde difficilem; & ex alia parte inchoatum sacrificium relinquere, vel intertempere, ob notabilem infamiam sibi resultantem, esset difficillimum; an, inquam, sit probabile, hunc non peccare quamvis gratiam non acquirat, si missam prolequatur cum eo dolore, & displicentia, quam tunc elicere posset? Esse probabile, aliqui content: quia cum tanto dedecore non obligatur Sacerdos ab incepto sacrificio desistere:

29. Immò de Lugo mox citandus cum nonnullis idem extendit ad laicum, si occurrat, eum recordari peccati mortalis, dum est ante linteam, si non facile, se conterere, nec sub aliquo praetextu se submovere valeat ab altari. Ita Valquez de Eucharist. disp. 207. Caspar Hurtadus disp. 9. de Euchar. diff. 1. dictus de Lugo de Eucharist. disp. 9. n. 1. Ita etiam Delgadillo cap. 3. de Euchar. num. 101. sed addens, forte calum esse metaphysicum, quia quoad praesens semper adest tempus se conterendi.

30. Addit Granadus cum alijs apud Dianam p. 9. tract. 3. resolut. 26. sufficere ad hoc metum admirationis populi, cum hoc non soleat esse sine suspitione peccati. Verùm negat Suarez apud Dianam, sufficere solam admirationem populi; nam ea subtrahit non affert suspicionem peccati, sed solum suspicionem timoratae, & scrupulosa conscientiae. Si tamen ex circumstantijs verè timeretur gravis populi admiratio (quia gravis haec admiratio semper est conjuncta cum periculo



Insurrectionis, & infamiae; siquidem facile homines accipiunt occasionem temerè judicandi, & detrahendi. erit sufficiens causa etiam per ipsum Suarium, addentem, hanc gravem murmurationem ex admiratione populi, moraliter loquendo, sæpè contingere: immò semper, ait. Delgadillo *loc. cit. n. 13. num. 129.* adducens Leandro *disp. 7. quæst. 15.* alioque contra Dianam *part. 9. tract. 3. resol. 20.* alios citantem; à quo Leandro non dissentio, si notetur illud (populi:) nam in Oratorio privato, vel solitaria Ecclesia aliquid ampliùs requiro, ut prudenter timeri debeat occasio illa detrahendi, & judicandi.

*Qua pertinent ad necessitatem urgentem, hoc est, quamquam illam parians?*

31. Inquires septimò, quinam sunt casus, in quibus residet tanta necessitas, ut Sacerdoti, qui peccato mortali gravatur, liceat Missam celebrare, & Communionem consequenter sumere cum contritione, vel actu amoris DEI super omnia, deficiente Confessario, sine prævia confessione, & consequenter illi liceat non observare grave præceptum hoc Tridentini, de præmittenda confessione communioni, quod aliqui præceptum Ecclesiasticum esse dicunt, aliqui divinum?

Respondeo apud DD. invenio sequentes.

Primum, cum Sacerdos quicumque, deficientibus hostiis consecratis, ac deficiente alio Sacerdote, fortè constituto in gratia, debet consecrare, & con-

sequenter communicare, ad dandum Viaticum moribundo, sive hic moribundus sit alius, sive sit ipse Sacerdos. *Lege Dianam p. 9. tr. 3. ref. 17.*

Secundum, quando Sacerdos quicumque rogatur ab aliquibus die festo, non habentibus alium, qui eis satisfaciat.

Tertium, quando idemmet Sacerdos deberet die festo carere Sacro.

Quartum, quando idem deberet omittere communionem Paschalem.

Quintum, quando eidem offeratur stipendium pro celebrandis missis.

Sextum, quando ratione Cappellania teneret Sacrum facere.

Septimum, quando sine nota infamiae omittere Sacrum nequit.

32. Ex hiis casibus primus, & ultimus sunt certi, & sine ulla controversia, semper, ut supponi omninò debet; deficiente Confessario: alij sunt sub opinione, & certè ego casum quartum, in quo Fidelibus concederem communionem, ut scilicet in tanta solemnitate, tantoque præcepto Eucharistia reficerentur, approbo, alios omninò excludo. Esto Delgadillo *cap. 3. de Evchar. n. 128.* alijque ab ipso citati benigniùs loquantur cum Leandro *tract. 7. de Sacramentis quæst. 14.*

Actum verò contritionis, sive amoris DEI super omnia satis erit, si dictus Sacerdos eliciat immediatè ante consecrationem, vel si suum peccatum advertit fortè post consecrationem, satis erit illum elicere immediatè ante communionem. In utroque casu sufficere immediatè ante communionem, inclinatur Delgadillo *loc. cit. n. 171.* sed non placet.

Gg. 2.

33. Hic



33. Hic nota, duas illas, primam, & ultimam, necessitates, militare etiam in Sacerdote excommunicato, vel suspensio, vel interdicto, qui poterit in his duobus casibus celebrare contritus, atque ad eum cum proposito exposcendi absolutionem suæ censuræ, si caret Confessario, seu potente illum absolvere. Ita Valquez de *Eucharist. disp. 108. que. m* sequitur de Lugo *disp. 14. num. 104.* notatque Valquez, se non invenire differentiam in hoc, inter habentem mortale, & habentem excommunicationem. Immo hæc (ait) deberet afferre minus impedimentum, quia est de jure humano; illud majus, quia est de jure divino.

34. Dixi, duas illas necessitates; nam cæteræ omnes nullo modo sufficiunt; quia, in ijs non multum gravibus necessitatibus, Ecclesia affectos illis censuris omnino repellit ab altari, etiam, immo magis in Paschate ob terrorem aliorum.

*Explicatur magis caput ductum ex infamia nota.*

35. **I**D melius explicari non potest, quam discurrendo per tres casus huc pertinentes.

Primò enim, si Sacerdos recorderetur, se esse in mortali, sive, dum est in altari, sive ante, vel post consecrationem, potest contritus (an aliquando sine contritione dixi *num. 27. & deinceps*) prosequi, quia tunc recedere ab altari esset cum periculo infamiae; adde, & esse irreverentiam; nam propterea S. Bonaventura apud Coninch. de *Euch. quest. 2. artic. 3. dub. 2. num. 16. ait,*

inchoatam missam semper esse perficiendam, quia ferè nunquam solemus mitti sine scandalo, adde, & sine irreverentia.

36. Secundò, si quis ad altare ante linteum communicaturus mortalis culpæ recorderetur, & recedendo incidere in periculum infamiae, communicet cum contritione: (an aliquando etiam non contritus dixi *n. 27. & deinceps.*) Hoc autem nota periculum, si coram multis communicet, moraliter semper timeri posset; sed ex circumstantiis colligendum, an futura sit admittendum taxat, an etiam periculum scandalum, gravis notæ juxta modò dicta. *num. 30.*

37. Tertio, si vocetur Sacerdos, sacram hostiam ferens ad infirmum, communicandum, qui dicat, se velle prius confiteri, sed is inveniatur multoties penitentiae Sacramentum invalidè suscepisse, vel quid simile; unde Confessarius brevi illum expedire, & absolvere nequeat, & aliunde mortis timeatur superventura, notamque infamiae orituram, si non communicet, poterit tunc Confessarius aliquo peccatum audire, & contritum absolvere, vel saltem attritum per dolorem cadentem super omnia alia peccata pari modo absolvere, & sacram hostiam eidem edendam porrigere imponendo ipsi, ut advocet deinde, si poterit, Confessarium, coram quo Confessionem perficiat. Quando autem mors non timeatur tam citò superventura, tamen eadem nota infamiae oritura crederetur, poterit pari modo, vel contritus communicare; vel, si contritio propter ejus difficultatem,



facilem non facile elicienda timere-  
tur, poterit, sed attritus modo dicto,  
fateri aliqua peccata, & communicari  
cum pari promissione, advocandi po-  
testa Confessarium, ut Confessionem  
perficiat; id enim concedit pius Do-  
minus, ut infamia vitetur, sicuti ex su-  
pra dictis confirmari potest. *Leges  
Dian. p. 11. tr. 8. ref. 85. in fine & Zambr.  
de Sacr. Panis. tr. 4. n. 6.*

38. Nota iterum, iterumque in  
omnibus casibus, in quibus potest quis  
contritus communicare, remanere  
semper (ut jam dictum est) onus sub-  
dendi peccata Confessario, quando il-  
lius aderit copia, vel certe suo tempo-  
re, ut explicabo *num. 53.*

39. Quæres, Sacerdos, qui cele-  
brat, & Laicus, qui communicat, non  
præmissa confessione mortalium, cum  
possint, committuntne peccatum du-  
plex; unum scilicet, quia indignè  
communicant; alterum, quia non ter-  
vant præceptum dictum Tridentini?

40. Respondeo, non committere  
duplex peccatum, quia ejusmodi præ-  
ceptum de præmittenda confessione  
non est propter ipsam, sed ipsa propter  
Evcharistiam; unde non est tam posi-  
tivum, quàm negativum de non acce-  
dendo ad Evcharistiam, absque hac  
probatione, & consequenter solum  
committitur unum peccatum indignæ  
communione. Ita Delgadillo *cap. 3.  
de Evchar. num. 189. cum Diana part.  
9. tr. 3. resol. 32. & simile quid*

*nos diximus supra cap. 8.  
num. 17.*

*Qua pertinent ad carentiam  
Confessarij, quando nam ea  
est?*

41. **I**nquires octavo. In quibus ca-  
sibus censendum est, copiam  
non adesse Confessoris?

24. Respondeo. In casibus se-  
quentibus. Primò, quando nul-  
lus Confessor haberi potest prorsus;  
vel si adit, nolit, aut non possit, te  
audire. Idem dic, si alterius sit idio-  
matis; nam propterea DD. dicunt,  
Fideles non habere obligationem con-  
fiteendi per interpretem; & aliqui id  
affirmant, sanè probabiliter, etiam in  
fine vitæ cum Diana *p. 9. tr. resol. 10.*  
sed tunc, si gravis mortalibus, debes  
conteri, ne de aternitate pericliteris.

43. Secundò. Quando Confessa-  
rius est multum distans. At quanta  
distantia?

Respondeo. Alij existimant distan-  
tiam trium milliariarum parere inopiam  
Confessarij, alij minorem. Vera sen-  
tentia est illorum, qui asserunt, id re-  
linquendum esse prudentis arbitrio;  
huic enim imbecilli difficillimum erit,  
convenire Confessarium duobus milli-  
ariis, vel etiam uno, distantem, huic  
autem robustiori facillimum, & multò  
magis si potes, te providere de jumen-  
to, quo equitare per plura milliaria,  
non paucis est voluptuosum, ne dum  
solum non molestum.

44. Tertio. Quando quis habet  
in promptu Confessarium unicum,  
cum quo habet rixas notabiles. Ita  
Leand. *disp. 7. cit. q. 30.*

Gg 3

45. Sed




45. Sed quid primò, si sperem, brevi me habiturum Confessorem, eoram quo devotius confitear, potsumne iudicare, me carere Confessario?

Certè non potes; neque enim hæc videtur causa sufficiens, quia nulla in hoc casu apparet necessitas, ne moralis quidem, quæ moralis apparet in eo, qui cum Confessario habet graves rixas.

46. Quid secundò, si habeo Confessorem, cui possum ex privilegio confiteri? potsumne iudicare, me carere Confessario, quia nunc mihi meus ordinarius deest? Dico, te non posse iudicare, tibi Confessarium deesse, quia consolatio, quam speras à tuo, non est necessitas.

47. Quartò, quando Religiosus laborat peccato, vel excommunicatio-  
ne reservatis, & non potest recurrere ad Superiorem potentem illum absol-  
vere, habet tamen copiam Confessarij  
ordinarij, potentis absolvere ab aliis  
mortalibus non reservatis; nam tunc  
diceretur dicto Religioso deesse Con-  
fessarium, unde poterit in aliqua ex il-  
lis duabus necessitatibus allatis n. 32.  
cum contritione communicare, semper  
cum onere ea peccata confitendi, quan-  
do aderit copia potentis illum absol-  
vere. Ita Vasquez aliique apud de Lugo  
*de Euchar. disp. 14. num. 48. Vide*  
omnino ea, quæ ego dixi in  
*opusc. de Communionem c. 1.*  
*oto §. 6.*



*Quæ pertinent ad illud Tridenti-  
ni, Quamprimum.*

*Status questionis explicatur.*

48. **Q**uod Fideles omnes, etiam non Sacerdotes, obligatio-  
nem habeant fatendi legitimo Confes-  
sario omnia sua peccata mortalia, non-  
dum ab illis directè absoluta, nõ est hic,  
neque dubitatio, neque disputatio;  
certum enim est hoc, idque ex vi in-  
stitutionis Sacramenti Pœnitentiæ, per  
quam institutionem omnia peccata  
mortalia sunt absolventa ab habente  
iurisdictionem. At quandonam Fide-  
les obligantur, hanc absolutionem pe-  
tere? Certè suo tempore, hoc est, vel  
semel in anno, vel ante Communionem,  
vel (si ante habita non est) in fine  
vitæ.

Id igitur, ut dico, non disputamus;  
sed hic quarimus, an dispositio Tridenti-  
ni, quæ non quidem omnes Fideles,  
sed solum Sacerdotes obligavit, quam-  
primum confiteri in eo casu, quo pro-  
pter indigentiam Confessarij, urgente  
necessitate, supra explicatâ, contriti  
Missam celebrant, an, inquam, ea di-  
positio obligationem aliquam indu-  
cat?

*Sub qua obligatione Sacerdotes  
Prædicti confiteri quamprimum  
debeant?*

49. **I**nquires ergo nonò, an sub obli-  
gatione mortali, an sub veni-  
ali, an sub nulla?

Respondeo. Suarez, Vasquez, alii-  
que permulti cum Joanne Sanchez *disp.*  
*31. num. 102.* & communiter Theologi  
aiunt,



aiunt, sub obligatione mortali. Petrus Ledelma de Eucharist. part. 1. cap. 11. & Villalobos in Summ. part. 1. tract. 7. diff. 37. & Delgadillo cap. 2 de Eucharist. dub. 29. alios citans, aiunt, vel sub nulla, quia hoc Trident. est solùm consilium; vel sub veniali; quia si hoc præceptum est, sanè de re parva: quid enim magni habet, quod qui contritus celebravit, unde nunc sit in statu gratiæ, debeat cum tanto rigore sub pena peccati mortalis hodie, & non cras, vel postredie, vel postea præcepto huic confitendi satisfacere, dummodo suo tempore satisfaciatur?

50. Prior sententia est omnino approbanda; nam posteriorem condemnavit Alexander VII. dum cum cæteris propositionibus ab ipso condemnatis die 18. Martij 1666. adest hæc 39. *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali est consilium, non præceptum.*

51. Hoc autem præceptum de quamprimum confitendo, cadit solùm super Sacerdote, qui non ex alio capite, sed solùm ex necessitate urgente, Missam celebrat, ut jam explicatum est, non autem cadit super Sacerdote, qui ex oblivione, vel ex ignorantia, immò etiam ex mera malitia sic operatur, ut rectè docet Suarez contra Navarrum, quia Tridentinum loquitur solùm ex causa urgentis necessitatis, & deficienti Confessario.

52. Rursus non cadit super Sacerdote, laicè, fortè, urgente necessitate, communicante; quia expressè Tridentinum restringit suam dispositi-

onem ad Sacerdotes, Missas sic celebrantes. Legite Joannem Sanchez disp. 32. n. 24.

*Quantum Temporis importat illud, quamprimum?*

53. **I**nquires decimò. Quantum est hoc quamprimum?

Respondeo. Aliqui putant, nullum importare tempus, sed statim, ac quis post celebratum Sacrum habuerit occasionem confitendi, confiteatur. Alij putant intra triduum; nam quamprimum, seu illicò, significat idem, quòd post triduum in iure. Fagundez autem, ait, quando Sacerdos rursus facere Sacrum velit. Authores, & Fundamenta harum opinionum legi poterunt apud Delugo disp. 14. de Euchar. sect. 7. & Dianam p. 9. rr. 3. resol. 22. & 23. advertendo, prædictam sententiam Fagundez damnari à modo dicto Alexandro, his verbis: *Ille paritula (quamprimum) intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.*

## CAPUT IX.

*Qua congruente dispositione spirituali communicandum?*

1. **D**E communicante cum peccato veniali diximus supra cap. 8. num. 25. Nunc autem

Inquires primò. An requiratur ad ritè communicandum actualis devotio, hoc est, an in ipso communicandi actu requiratur, cogitare divina, vel ad illa se sanctis actibus, & affectibus commovere?

2. Re.



2. Respondeo. Tamen ob reverentiam Christo Domino debitam ea sit maximè optanda; tamen dico primò, involuntariè cogitantem tunc indifferenter non frustrari effectu Sacramenti, dummodo sit in gratia, & ne peccare venialiter quidem, quia ubi voluntas non est, culpa non est.

3. Dico secundò. Si voluntariè, id est, si quis per voluntariam distractionem intendat ad res temporales indifferentes, venialiter peccare, quidquid dicat Joann. Sanchez *disp. 21. num. 21.* docens, non esse peccatum ullum. Ratio nostra est, quia recipere Christum Dominum, tanquam hospitem, dum ad alia omnia volens attendit, & non ad ipsum, vel ad ipsius res, certè irreverentia est, nam sumere sacramentum hostiam, non est solum, ut putat Joann. Sanchez, manducare, sed est etiam recipere tantum hospitem.

4. Dico tertio. Cogitantem tunc res malas graviter, illas cogitationes ita admittendo voluntariè, ut mortaliter peccet, ultra peccatum commissum ex objecto malo cogitationis, e. g. ultra peccatum luxuriæ, si turpia tunc voluntariè is cogitet; dico, inquam committere aliud specie differens peccatum, nempe sacrilegium, hoc est, peccatum contra reverentiam Christi cultui debitam, & quidem distinctè manifestandum Confessario, ita ut non sit satis dicere: peccavi, admittendo cogitationes malas de muliere saluta, e. g. sed necessariò addendum, idque in ipso actu, quo communicabam. Lege Diana *p. 11. n. 8. resol. 58.* in simili. Vide item, quæ dicam infra *cap. 13. num. 8.*

& qua supra dixi in tract. de Confess. cap. 16. num. 26.

*Communicare eo die, quo quis peccavit, quo pollutionem, quo copulam habuit.*

5. Inquires octavò: An eodem die quo quis peccavit mortaliter, debeat (certè post legitimam confessionem) communicare? Quid si præcedente nocte pollutio præcesserit?

Hæc, & his affinia in sequentem modum distingue. Certum est primo, eodem die, quo quis graviter lapsus est, posse sine peccato, præcedente confessione legitima, communicare, quia is jam habet, quod necessario requiritur ad recipiendam Sacramentum Eucharistiam, nempe statum gratiæ. Vide tamen, quæ mox afferam *an. 7.*

6. Certum est secundò, pollutionem involuntariè præcessisse, non esse impedimentum, nec impedire communicare volentem, quia jam supponimus, per illam, hominem gratiæ statum non amisisse. Immo notat Delugo *disp. 15. de Euchar. à num. 9.* cum aliis, benè affectos circa spiritualia, nunquam debere, ob hanc involuntariam pollutionem, communionem privari, nisi fortè rarò, quando quis vehementer propter pollutionem illam distraheretur à divinis, quod sanè, quando ea est in voluntaria, esse difficile, puto.

7. Certum est tertio, pollutionem voluntariam, ut etiam copulam illicitam, tibi impedimento esse debere, communicandi eo die culpæ commissæ, quamvis illius absolutionem fuerit

con.



consequutus; licet enim in rigore  
possit, ut modò dixi n. 5. in sententia  
aliquorum apud Delgadillo *cap. 2. de*  
*Exchar. num. 172.* & nulla culpa, ne  
venialis quidem sit; nihilominus reve-  
rentia tanto mysterio debita, & vere-  
cundia à tuo peccato concepta, te ab il-  
lo congruit remove. Unde meritò  
in rubr. Missal. de dispositionibus ex  
parte corporis, præcipitur Sacerdoti,  
qui habuit pollutionem peccaminosam  
mortaliter in somnis, ut pro illo die  
non celebret; esto solùm id esse confi-  
siliùm, meritò dicat ibidem idem Del-  
gadillo.

8. Excipe, nisi magnus esset tuus  
dolor, & Pœnitentiæ Sacramentalis  
præmissa; vel nisi cogaris propter no-  
tam, quam incurreres; vel esset festum  
solemnè, vel subilæum, vel quid simi-  
le, præmissa semper Confessione.

9. Quod dictum est de peccaminosa  
pollutione, dic de quocumque mor-  
tali eodem die, vel nocte ante commu-  
nionem patato. Sed notant DD. ma-  
jorem oppositionem intercedere inter  
peccata turpia, & purissimum hospitem  
Christum, quàm inter alia peccata;  
quia turpia magis distrahunt, & magis  
opponuntur puritati Carnis Domini.

10. Certum est quartò; Copu-  
lam licitam inter uxoratos regulariter  
non impedire communionem, neque  
enim est repellendus à Sacramento,  
qui copulam (maximè reddendo) o-  
pus scilicet justitiæ peregit, ut non re-  
pellebantur Fideles uxorati in primiti-  
va Ecclesia, quos post licitam copulam  
sæpè communicasse, quia communica-  
bant quotidie, valdè credibile est. Ita


Tambur. de Præcept. Eccles.

quidem in rigore; Verùm ob reveren-  
tiam, consulendi sunt, ea die, qua com-  
municare velint, ut abstineant à copu-  
la, idque in reverentiam puritatis ejus,  
quem suscepturi sunt. Dixi (*Consu-  
lendi*) quod enim multi Canones pro-  
hibuerint communionem post dictam  
licitam copulam, id ex consilio prohi-  
buerunt, eandemque prohibitionem  
multi SS. Patres etiam inculcaverunt,  
sed certè non nisi ex magno zelo reve-  
rentiæ, & magno amore pudicitæ, ut  
larè probat Delgadillo *loc. cit.* & Joan.  
Sanchez: mox citandus.

11. Subinquires, si quis copulam  
licitam exegit ob meram delectationem,  
peccatne saltem venialiter, si eo  
die communicet?

12. Respondeo, etiamsi conjux  
tunc peccasset venialiter, quod certè a-  
liqui apud Joan. Sanchez *disp. 23. n. 25.*  
affirmant, quidquid alij in contrarium,  
tamen non peccaret nunc in communi-  
cando, ut ex supradictis de accedente  
ad communionem cum veniali *cap. 8. d.*  
*n. 23.* satis patet.

13. Illud nota, majus periculum  
esse peccati venialis in eo, qui ob vo-  
luptatem debitum petit; quàm in eo,  
qui ob alios honestos fines, quia magis  
distrahit mentem à divinis amor  
boni delectabilis, quàm  
boni honesti.



Hh

CA-

EVRI  
in  
de  
E II  
30.6.



CAPUT X.  
QUA  
Corporali dispositione Com-  
municandum ?

*Menstrua an impediunt Com-  
munionem ?*

1. **I**Nquires primò, an mulieri fluxum sanguinis, vel menstruum patienti, aut statim post partum, liceat communicare ?

2. Respondeo licere, quia in his passionibus, nec ullum reperitur peccatum, nec irreverentia ; & quamvis Suarez de *Evcharist. disp. 68. sect. 2.* putet, tunc communicare, venialem esse culpam, quia est aliqua tunc indecentia ; unde antiquitus fuit prohibita communio intra aliquod dierum spatium fœminæ post partum ; item post matrimonium, ejusque consummationem ; item dum erat in menstruis ; tamen nos id non putamus ; tum quia nulla tunc indecentia moralis reperitur, sed solum physica, quæ in re nostra non attenditur ; tum quia antiqua prædicta prohibitio jam usu contraria abrogata nunc est. Ita Deldadillo de *Evcharist. cap. 3. num. 83.* citans Leandrum, & alios.

*An lota facie, & manibus  
Communicandum ?*

3. **I**Nquires secundò, an culpa sit, non lotis manibus, & facie, communicare.


4. Respondeo nequaquam culpam esse ; quia, quamvis Sacerdos, qui,

celebrando ; tangere sacram Hostiam immediatè debet, manus debeat lavare ; non tamen laicus, qui alienis manibus communicat tantum ; unde merito nullum de hoc præceptum adesse, cum nulla hinc irreverentia timeatur.

5. Dices : At Granadus, quem citat, & approbat Leander *tractat. 7. disp. 6. quest. 3.* sic habet : *Non lotis manibus celebrare, aut non abluta facie ad Evcharistiam accedere, viri docti dicunt esse peccatum veniale, si advertere fiat, quia est contra reverentiam tanto Sacramento debitam ; unde S. Augustinus serm. 244. Erubescimus, inquit, ac timemus, Evcharistiam manibus sordidis tangere ;* Hæc ille.

6. Verum optarem, doctos hos viros, quæstiones duas non immiscuisse, fateor enim, esse irreverentiam tangere Evcharistiam manibus sordidis, de quo tactu loquitur S. August. at facie non abluta, & non abluta à laico manibus ad Evcharistiam accedere, irreverentiam sapere, nequaquam fateor.

7. Nota insuper, illud (abluta manibus) quod præcipitur in rubricis, initio Missalis positum, intimari Sacerdotibus, non laicis : & tamen addo, si Sacerdos manus habeat mundas, nulla culpa peccaturum, si absque ablutione manuum celebret ; rubrica enim solum manuum munditiam requirit, non verò materialem lotionem ; quòd si plus requirere contendas, consilium erit, ac mera directio, sed nil præterea.





*Ornatus corporis, ejus, qui communicat.*

8. **I**nquires tertio, an cum aliquo vestium ornatu sit communicandum?

9. Respondeo: Ut omittam necessitatem, quæ Sacerdotes obstringit ad vestiendas sacras vestes, sub quibus celebrent, de hac enim re agitur in tractatu de Missa, tribus dictis huic inquisitioni faciam satis.

10. Dico primò: Ad communicandum, non requiri ullum genus vestium: mundities tamen, & honestas ea decet, quam quisque pro suo statu servare cum modestia, & sine vanitate debet.

11. Sacerdos autem cum extra Missam laicè communicat, induatur stola juxta *Eccl. dist. 23.* ubi id mandatur, sed certè sine obligatione peccati, quia illa extra Missam carere, res gravis non est: & ex alia parte dictum Cap. quoad hanc dispositionem usu abrogatum est. Ita Azor. *pr. p. libr. 10. c. 28. q. 12.*

12. Dico secundò: esse decentissimum, accedere ad factam mentam sine ornatu armorum, e. g. gladij, seu ensis: unde apud nos meritò ex communi consuetudine deponitur ensis in communicandi actu. Ajo nihilominus, cum illis accedere, ex se nullum esse peccatum, præcise scandalo, quod certè in nostris regionibus cultis esse non solet.

13. Et quidem Equitibus militibus S. Joannis, S. Jacobi, Alcantaræ, &c. Diana *p. 3. tract. 2. resol. 30.* sequens

Joannem Sanchez ait, esse decens, cum armis ad latus accinctis ad communionem accedere, quia hæc sunt propria eorum ordinum insignia, ad fidem contra infideles propugnandam. Sed certè tantam licentiam admitterem solum, quando cum proprio Ordinis habitu publicè, ut tales communicarent, & consuetudo ferret, tunc armis instructos ad altare accedere; non verò quando, ut privati, juxta morem aliorum nobilium. Et re ipsa apud nos etiam hi Equites, quamvis nobilissimi, enses deponunt, dum communicant, ut etiam dum Sacerdori conferuntur.

14. Dico tertio: tametsi scæminæ modestias sacram Hostiam sumerent, si nullo purpurisso, nullisve sumptuosis vestibus conspicuz, sed modesto, quantum eorum status requirit, ornatu; tamen si ejusmodi ornamenta absque ullo sine pravo, sed more patriæ, vel propter suorum virorum oculos adhibeant, eas ex hoc capite peccati condemnare non debeo: quia nullum contra id urget præceptum, nec ulla Christi Domini irreverentia.

*Jejunè naturaliter communicandum?*

16. **I**nquires quarto: cur in hoc ipso titulo hujus questionis dictum est (naturaliter?)

Respondeo ad differentiam jejuniij Ecclesiastici: hoc enim est abstinentia ab aliquibus cibis, illud ab omnibus, pro illo die scilicet, quo comunicandum, hoc est, à media nocte usque ad peractam communionem, idque etiam à quacumque minima cibi, vel potus

Hh 2

quan-



quantitate: quod ita certum est, esse sub mortali obligatione, ut Valquez *disp. 211. capit. 3. num. 27.* affirmet, sententiam Goffredi, & Joannis Parisiensis, dicentium, ad communionem sufficere jejunium Ecclesiasticum, esse errorem in fide.

16. Signatè dixi (à quacumque minima quantitate) nam opinio Pasqualigi *dec. 335.* apud Dian. *p. 6. tr. 8. resol. 8.* putantis, non esse improbabile, committi dumtaxat peccatum veniale, ab eo, qui non jejunus ex parva quantitate cibi, vel potus communiatur, quia tunc (inquit) exculat à mortali parvitas materiæ: opinio, inquam, hæc falsa omninò est; siquidem sumere Eucharistiam quomodocumque non jejunum, est ex se gravis irreverentia Christo, & prohibitum ex Apostolica traditione, quæ habetur ab ipso Ecclesiæ initio. Lege Leandr. *tract. 7. disp. 5. sect. 3.* aliosque ab ipso citatos ex de Lugo *disp. 15. de Eucharist. num. 22. & 23.* qui ex Concilio Toletano affirmat, modicissimum cibum, etiam modicum granum anisi, rumpere jejunium, quod requiritur ante communionem.

*Jejunium naturale quinam  
cibus, vel potus violet vel  
non violet?*

17. **I**nquites quintò majorem explanationem hujusmodi naturalis jejunij.

Respondeo. Hoc jejunium est, ut modò innuebamus, totalis carentia cibi, & potus suscepti in stomachum, vel in via ad illum; per quam scilicet ca-

rentiam communicaturus nihil sumat per modum cibi, vel potus à media nocte usque ad communionem.

18. Dices: at hoc est, quod inquiri, in quoniam consistit hoc (per modum cibi?)

Respondeo. Consistit in eo, quod per actionem vitalem nihil cibi, vel potus in ore ab extrinseco sumpti in stomachum demittatur; quod est, nihil prorsus edere, & bibere eo modo, quo homines solent. Ita S. Thomas relatus, & exceptus a Suario *de Eucharist. disp. 88. sect. 4.* aliisque communiter.

19. Dices iterum: equidnam intelligitur nomine cibi, ve potus?

Respondeo cum de Lugo *de Euchar. disput. 15. sect. 2.* aliisque apud Dian. *p. 5. tract. 6. resol. 1.* intelligi illud solùm, & omne quod à stomacho alterari, & in substantiam hominis converti; seu, ut medici loquuntur, digeri, vel ad digestionem pertinere potest.

20. Hinc primò, jejunium hoc non violas, si glutias ungues abrosos, capillos, lignum durum (durum, dico, quod à stomachi vi alterari nequit) plumbum, argentum, aurum, gemmasque integras, nucem pineam, avellanamque item, integras, (integra dico, quæ scilicet non sunt, nec comestibilia, nec potabilia) vitrum, ossicula dura fructuum, lapillos, filum ex serico, velex lana; hæc enim, & similia, cum non digerantur, cibi nequaquam sunt, quidquid dicat Joann. Sanchez *disp. 4. num. 23.* de nucem pineam, & avellanam, qui putat, hoc esse per se cibum humanum, & solùm per accidens ratione corticis non digeri; quid.



quidquid, inquam, dicat; nam, ut integre sunt, non digeruntur: ergo, ut sic, non sunt cibi.

21. Addit his non violentibus jejunium Decastillo *disp. 9. num. 278.* terram, à prægnantibus manducari solitam: adduntque aliqui cretam; verum non assentior; cum enim creta, & terra purum elementum non sint, sed mixtum varijs, digeruntur, & licet male, nutriunt tamen.

22. Summa Dianæ *Verb. Communio* affirmat, ceram non esse cibum, citatq; pro se Cardialem de Lugo: sed neque ego assentior, nec certè assentitur ipsemer de Lugo, qui loco citato à Summa Dianæ, hoc est, *disputat. 15. de Eutharis. num. 29.* de creta loquitur, non de cera, dicitque, cretam non esse cibum, quam nihilominus ego cum terra modo adjunxi, & cibum esse putavi, & nunc multò magis puto de cera, quæ semper partes mellis admixtas habet, & item partes alias digestibiles, utpote vel ab aëre, vel à floribus acceptas.

23. Denique cibus jejunium non violentibus Pasqualigus *in 2. edit. de cæso 419.* addit papyrum, seu chartam, & filum ex lino; (quod de charta etiam probabile dicit Bossius *rom. 3. quest. post. tit. 22. n. 10.*) quia, inquit, hæc non sunt cibus humanus; sed nec his assentior, siquidem tum fœnum, tum communes herbæ non sunt cibus humanus; & tamen, quia, si comedantur, alterantur, & digeruntur, jejunium frangunt. Item nec medicamenta, nec venena sunt humanus cibus, & tamen, quia sunt alterabilia, habent

tiæque semper aliquid de alimento, jejunium violent.

24. Hinc 2. Idem jejunium non frangis, si fumum tabbaci per os immittas, quia, vel ille non descendit in stomachum, vel si descendit, tunc fit per actionem respirationis, non verò per manducationem. Simile quid erit, si tabbaci pulverem per nares absorbeas.

25. Sed quid si folia hujusmodi tabbaci dentibus ad evocandum flegma teras? Respondeo, te non frangere jejunium naturale, resolvit Delugo *lib. 1. respons. moral. dubio 9.* nam & hoc, ait, fit quotidie Neapoli à Sacerdotibus sine scrupulo; quia experiuntur, nullum prorsus illius folij succum descendere in stomachum; immò à stomacho rejectari; flegma autem evocari per vim attractivam, & consensum linguæ cum palato. Ego hujus rei fidem apud ipsos depono.

26. Hinc etiam 3. Non frangis jejunium, si in stomachum tuum inolet musca, vel pulvis, vel quid simile, quia tunc id non fit per actionem manducandi, sed per actionem respirandi. Quid si id per manducationem fiat, certè jejunium violabitur, quia tam musca, quàm pulvis, qui terra est, tum culex, vel quid simile digestibilia sunt; signum autem, quod fiat per manducationem, & adsit manducatio, est, si glutiat serio, nam si casu, videtur fieri per respirationem.

27. Hinc 4. non frangis jejunium, si quid durum aromaticum e. g. piper, vel muscatam nucem integram ore circumfers, nihil ejus deglutendo, ut ha-

H h 3 ber



bet Tannerus *disp. 5. quest. 8. num. 79.* quando enim aliquid per modum salivæ trajicitur, non est edere, vel bibere, sed ipsam salivam à capite descendentem intus committere; sed in casu dicto, si quis minimus succus imixtus salivæ, à qua separari is nequit, certè trajicitur per modum salivæ: ergo jejunium non frangit, sicut nec frangit saliva. Nota illud (integram ore circumfers) nam si conteras, seu confringas dentibus, vel si sic contracta per os obvolvas, semper aliquid illorum in stomachum trajicitur, & sic jejunium violabis.

38. Hinc quintò; nec violas jejunium, si quid prægustes, vel si os abluas, totum tamen statim ab ore rejicias, quamvis necessariò tunc fiat, ut aliquid minimi succi, vel liquoris imixtum salivæ deglutias; quia deglutis, ut modò dictum est, per modum salivæ. (Dico minimi, & imixtum) nam secus erit, si sit in notabili quantitate; vel licet in parva, possit à saliva distingui; id quod certè morali, humanoque modo à prudenti viro deliberari debet.

29. Meritò ergo Pax Jordanus *rom. 1. lib. 4. tit. 1. num. 8.* asserit, te jejunium hoc frangere, si e. g. os abluendo diutius aquam in ore detineas, quia, inquit, vix fieri tunc potest, ut pars aliqua à faucibus non attrahatur, quod certè maximè evenire putandum est (ait) quando etiam gargarizas.

30. Neque dictis obstat rubrica, Missalis *de defectibus dispositionis corporis num. 3. ibi.* Idem dicendum (hoc est, non frangi hoc jejunium) si lavan-

do os, deglutiantur stillæ aquæ præ intentionem; non obstat, inquam, quia cum rubrica immediatè antea dixisset, non frangi hoc jejunium, quando quid deglutitur per modum salivæ; & antea item *num. 1.* dixisset, frangi per quamcunque parvam quantitatem, si deinde addit: idem dicendum est, si lavando os, &c. clarè apparet ex contextu, intelligendum esse, non frangi jejunium in eo solo casu, in quo lavando os stilla imixta inseparabiliter salivæ deglutitur.

31. Hinc sextò; nec frangis jejunium hoc, si reliquias parvas inter dentes, ex præcedenti cœna relictas inadvertenter deglutias post mediam noctem; tunc enim, vel cum saliva, vel melius ex respiratione trajicies.

Dixi (*relictas inter dentes*) quia, semper sunt satis exiguæ; si enim in raro casu essent notabilis quantitatis, rumperent jejunium.

32. Sicuti etiam rumperet faccerum, seu tabella rosacea immissa in os ante mediam noctem, quæ post mediam noctem liquefieret, & in stomachum descenderet. Ratio autem horum est, quia fuisse in os immissa ante mediam noctem, non potest facere, quin illa verè sint cibi.

33. Scio, Dianam *part. 5. tract. 4. resol. 37. & part. 4. tract. 8. resol. 104.* qui citat Suarium, Coninch, & alios, putare, reliquias illas, quamvis magnas cibi, non officere jejunio, si post mediam noctem, etiam voluntariè absumantur, quia scilicet videntur, inquit, illa pertinere ad manducationem dici hesterni: quæ sententia fortasse



in ea ratione fundatur; quia, si sint reliquæ, licet dicantur magnæ, non possunt esse nisi exiguæ, per modum salivæ, vel potius per respirationem etiam ipsæ trajectæ: id quod non possumus dicere de illo saccharo, & tabella; & nihilominus iterum dico, si sunt notabiles, frangi jejunium.

34. Hinc denique septimò: jejunium, de quo agimus, non violas, si guttas sanguinis de capite defluentes fortè trajicias; quia ab extrinseco illas non absumis. Contra verò, ut notat Delugo loco cit. violas, si sanguinem sugas à tua manu vulnerata, quia per modum porus tunc absumeres.

*Cibus indigestus, vel non dormivisse, vel evomuisse, an impediat Communionem?*

35. **I**nquires sextò. An cibus indigestus me à sacra menta repellat? Respondeo, te nequaquam repelli, si ante mediam noctem comedisti, quamvis cibum non digesseris; vel etiam si illud evomivisti, vel nihil dormivisti; quia præceptum non est, ut nihil die communionis habeas in stomacho, vel ut illum habeas benè affectum, sed solum, ut nihil eo die præmanducaveris. In patiente tamen vomitum semper caveas, ne sit iterum ejusmodi periculum postea, de qua re latè dixi supra cap. 7. num. 43.

36. Te repelli à communionem, si post mediam noctem comedisti, & statim totum cibum evomivisti, quamvis advertas, tibi vacuum omninò remansisse stomachum, nimis certum est, & notat cum aliis Leand. tr. 5. disp. 5. q. 19.

37. Hoc idem dico, si decidens e.g. in flumen, multum ibi aquæ, quamvis nolens, absorberis: nam etiam si totam revomeris, jejunus propter dictam rationem non eris; & ex alia parte nihil te juvat absorbuisse nolentem; siquidem neque infirmus, si quando per vim in guttur illi cibus etiam in quantitate immittatur, volens absorbet; & tamen quis illum jejunum esse, pronunciet?

*De dubitante, an sit jejunus?*

38. **I**nquires septimò: qui dubitat negativè, an sit naturaliter jejunus, poteritne tuto, & sine scrupulo ad Eucharistiam accedere:

39. Respondeo. In dubio hoc negativo, sive de comestione, an scilicet aliquid cibi, vel potus quis absumpserit, sive de hora comestionis, an scilicet ante mediam noctem comederit, vel biberit, licetè communicabit, si factis omnibus moraliter diligentibus (quas facere omnino tenetur) de veritate ipsi constare non poterit. Ratio est, quia (quidquid dicant aliqui in contrarium) in utroque dubio favet privilegium possessionis, quo scilicet possidet homo jus communicandi, à quo dejici, is non potest, nisi clarè probetur, habere impedimentum communicandi; cum enim facta non præsumantur, sed probari debeant leg. 1. C. de probationibus; & in tali dubio negativo talis tua comestio intra vetitum tempus non possit probari, quia tunc non esset dubium negativum, quod, ut supra notabamus cap. 8. num. 3. est, quando non apparet ratio convincens, vel

in b...  
IVRIN  
in  
de  
E. III  
30.6:



vel probabilis pro neutra parte: unde intellectus est anceps, & incertus, ut nec ad assensum inclinetur, nec ad dissentium; ideo remanet in te possessio juris communicandi. Lege Delugo loco cit. & Bardi de conscient. discept. 6. cap. 11. cas. 3. & Diana part. 3. tract. 4. resol. 20.

40. Certè ita discurrere consuevimus in similibus, ut si e. g. dubites negativè, an sis irregularis ex missa celebrata e. g. in excommunicatione? si veritatem, factis diligentis, expiscari non vales, te ab irregularitate immunem censere poteris, neque obstat in dubio facti homicidij iniusti, te debere reputari irregularem, constante corpore delicti; non obstat, inquam, quia de hoc est peculiaris lex ita disponens C. ad audientiam de homicidio, & alibi.

41. Quæres: quid si habeam probabiles rationes, quòd sim naturaliter jejunus, & similes probabiles, quòd non sim; in quo casu aliqui minùs propriè loquentes dicunt, te habere dubium positivum?

42. Respondeo: cum possimus sequi id, quod probabile esse cognovimus, quia sic prudenter operamur, poteris tunc, te reputare jejunum; & poteris, te non jejunum reputare, ac propterea, sequens probabilitatem tibi magis faventem, comunicare poteris.

43. Sed de pertinentibus ad eisdem probabilitatem agitur latè in tract. de Pœnit. Interim legite Suarez de Pœnit. disp. 22. sect. 9. Sanchez in Deoral. lib. 1. cap. 9. num. 31. Fagundez Præcept. Eccl. 2. lib. 3. c. 7. n. 4.

*Media noctis explicatio pro communicaturis.*

44. **Q**uoniam multa esse horologia solent in civitate, designantia mediam noctem, post quam communicaturo non licet aliquid cibi, vel potus sumere; ideo notant DD. omnia (nisi constet aliquid minus rectè currere) facere opinionem probabilem, atque adeo posse ex quolibet ex iis non certò falsis, te sine scrupulo dirigi, nam sequens opinionem probabilem, prudenter, ut modò diximus, operaberis.

25. Unum prætereundum non est pro horologiis totalibus Italicis; nam ea solent mediam noctem, ut & meridiem, & ortum, occasumque solis designare media hora plus, minùsve post præcitum punctum cursus solis. Hinc quando Horologium rotale Italicum in nocte e. g. æquinoclij dat signum sextæ horæ noctis, sol verè invenitur prævolasse per mediam horam plus, minùsve: quare in prædicta æquinoclij nocte vera media nox (quam sol facit non horologium) quamque nos sequi debemus in jejunio, & similibus Ecclesiasticis præceptis, non erit in illa sexta hora, sed in quinta cum dimidia circumcirca, & ab hac, & ultra debes esse jejunus, ut ritè communices. Id quod rectè observari mandat Missale Romanum, editum sub Innocentio X. Anno 1647. & notavit Gavant. in rub. Miss. p. 5. in fine tabulæ meridiei, & mediæ noctis.

46. Petes: cur semper dictum est: (plus, minùsve, & circumcirca?)

Re-



Respondeo. Quia in rigore mathematico apud benè gubernantes Italica horologia, sol, atque horologia solarum præcedunt horologia rotalia in æstate per mediam horam, ut in hyeme per quadrantem, in autumno, & verè per quadrantem cum dimidio: id, quod evenit propter crepuscula prædicta, quæ varia sunt in dictis temporibus, ut ex Ricciolis id calculante refert Pellizzarius tom. 1. *Mat. tr. 5. cap. 8. num. 105.*

47. His explicatis, inquires octavo: ipsam mediam noctem in puncto designatne primus ictus horologij rotalis, an ictus, qui immediatè sequuntur, an ultimus?

Respondeo. Primus ictus, seu primus campanæ pulsus. Ratio est, quia tunc notatur jam completè præcessisse horas præcedentes, pertinentesque ad diem, horasque præteritas.

48. Dices: si hoc ita se habet, sequitur, me communicare volentem obligari, illo ictu sonante, rejicere ex ore id, quod immediatè ante in eodem ore posueram, & non deglutiveram?

49. Respondeo. Ita sequi putant Cominch, & Joann. Sanchez apud Gobat de *communione casu 17.* sed ipse Gobat sic subdit: mulus fortè videbitur, Ecclesiam neminem compellere ad hanc inurbanitatem in tali, tamque raro casu.

50. Dices iterum: sequeretur ex Cominch, & Sanchez, me multò magis obligari, illo primo sonante pulsu, si actu biberem, desistere ab haustru, nec posse pergere ad totum craterem exhaurientum?

*Tambur. de Præcept. Eccles.*

15. Respondeo. Ita affirmat Delugo, aliique, inter quos est Bresserus de *Conscient. lib. 4. cap. 11. n. 107.* qui tamen sic addit: probabile tamen videtur, horam durare moraliter usque ad ultimum sonum, atque ideo interim bibentem, vel etiam comedentem non violare jejunium, vel naturale, vel Ecclesiasticum sequentis diei: tamdiu enim videtur durare, quamdiu auditur.

52. Hanc Bresseri additionem sequitur multis citatis Delgadillo c. 8. de *Euch. dub. 4.* cum Leand. tr. 7. disp. 5. q. 7. huius præcipua ratio est, quia ultimus ictus est, qui determinatè indicat horam esse hanc, & non aliam; & in casu nostro hanc esse, & non antea; nisi enim audiam ultimum ictum, non possum dicere, neque scire, esse horam sextam, esse quintam cum dimidio, &c. Cum ergo Ecclesia more humano nos regat, tunc reputabit esse mediam noctem, quando illam homo ex horologio determinatè cognoscere potest.

53. Ego aliam inire viam soleo; quam sic explico: Caramuel in *Theol. fund. à. num. 205.* cum alijs docet, horologia rotalia etiam accuratissimè artefacta, & gubernata, per horæ quadrantem plus, minusve à veritate aberrare; id quod experimur, ait, quotidie in duobus e.g. vel tribus horologijs accuratissimè directis, quæ sapissimè inter se differunt per quadrantem, & fortè amplius, & tamèn dicimus, ea facere opinionem probabilem, si non constet esse falsa. Hæc Caramuelis, aliorumque explicatio dat mihi viam excusandi hominem communicare volentem, ut

li

non

in b... ..

in b...

in b...

in b...

in b...

in b...



non obligetur proferre bolum, quem habet in ore, nec à medio potu delistere statim, ac primum ictum horologii audit; nam in tanta brevi morula poterit judicare, horologium cujus primum ictum audit, tantisper errare, nec mediam noctem esse, nisi post portionem absolutam, vel tranlumptum bolum.

54. Illud tamen certè præ oculis semper habe, ne tale horologium sit falsum, quod non solum dico veluti in habitu, quod soleat illud sæpè errare, sed etiam veluti in actu; si enim advertis, tuum horologium aliàs benè regulatum, hodie multò solito citiùs, vel tardiùs dare horarum signa, e. g. per mediam horam, vel per quadrantes horarum tres, juxta illud hoc die, vel nocte regi non poteris. Quare sive in primo ejus ictu, significante mediam noctem, sive in ultimo sis in potu, vel comestione, certè non poteris die sequenti communicare; quia propter tamdiù postpositas hujus hodierni horologii horas, post mediam noctem comediti, vel potasti,

*Quodnam fortius præceptum, communicandi jejuniè, an communicandi in Paschate?*

55. **I**nquires nonò. In concursu horum duorum præceptorum quodnam prævaleat? accidit enim hisce superioribus annis, ut accesserit ad Episcopum suum quidam, postulans ab eo dispensationem, vel non communicandi in Paschate, vel saltem communicandi non jejuniè; quandoquidem ex medicorum præscripto, & ex-

perientia, non poterat is, vel per paucas horas se à cibis abstinere abique gravissimo vitæ periculo: cæterum tamen sanus erat, nec alia, præter caninam famem, infirmitate laborans.

56. Inquires ergo, quid ex his præceptis facilius dispensabitur? quod idem est, atque inquirere, quodnam ex dictis sit præceptum fortius? Rursus subinquires, à quo hujusmodi dispensatio erit impetranda?

57. Si quæras, quid in praxi faciendum sit ab hoc famelico, facilis est responsio; poterit enim is ante mediam noctem cibo se reficere, & statim post horam e. gr. nocte media communicare; quo pacto, & jejuniè communicabit, ut ex dictis constat, & præceptum communicandi in Paschate custodiet.

58. Verùm studiosus Theologus adhuc sic inquireret; fac, hominem hunc, vel similem, sive per possibile, sive per impossibile dicto remedio non posse; cui ex duobus dictis præceptis faciliùs, & à quo dispensabitur?

59. Antequam respondeam, præmittendum est præceptum communicandi jejuniè totum esse ex præcepto Ecclesiæ, ut docemus, & scimus omnes; at præceptum comunicandi in Paschate esse quidem Ecclesiasticum, sed habere originem à divino; Christus enim Dominus præcepit comunionem illis verbis: *Nisi manducaveritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis*; Quia tamen tempus non determinavit, illud determinavit Ecclesia, ut Sanctissima Communio à Fidelibus fieret.



heret, saltem in Paschate. Ita de Lugo de *Eucharistia disp. 16. num. 28.* alijque.

60. His præmissis, respondeo ad prius, id est, cui ex duobus his præceptis facilius dispensabitur? Dico, posse facilius dispensari ad communicandum non jejunè. Ratio est, quia hoc præceptum est totum Ecclesiasticum; illud de comunicando in Paschate, in divino radicem habet.

61. Respondeo ad posterius, hoc est, à quonam obtineri debeat hujusmodi dispensatio? Posse solum, & debere à Summo Pontifice, sed cum necessaria distinctione; nam ad comunicandum non jejunè, poterit Pontifex absolute dispensare; quia præceptum hoc, ut diximus, totum est Ecclesiasticum; & quamvis is dispensare non solet, ut advertit de Lugo *disp. 15. de Eucharist. num. 15.* tamen dispensavit aliquando, nempe Carolo V. cibi refectioe subinde indigenti, idque etiam devotionis causa, ut tradit Famiannus de *bell. Belg. Decad. p. lib. 1.* Ad non comunicandum verò in Paschate non poterit absolute, & pro semper, quia tanta concessio esset contra divinum præceptum comunicandi saltem aliquoties in vita, juxta varias sententias, supra à nobis e. 2. allatas. Poterit ergo solum cum restrictione, concedendo scilicet, ut pro aliquo tempore communionem quis differat, quia determinatio pro tali, vel tanto tempore, qualis hodie est pro tempore Paschali, præceptum est Ecclesie.

62. Dixi (solum à Summo Pontifice) neutram enim dispensationem

expedire potest Episcopus. Ratio est, quia, quæ sunt præcepta totius Ecclesie, (qualia sunt ea, de quibus disputamus) non possunt dispensari, nisi à Summo Pontifice, Universali & Supremo Legislatore, juxta communem doctrinam de legibus. Episcopo enim, utpotè illo inferiori, solum conceditur, posse in his legibus universalibus dispensare, (idque ob suave regimen Ecclesie) quando sunt de materia frequenter occurrente; ut in legibus de jejunio Ecclesiastico, de abstinentia à laboribus servilibus die festo, ut etiam in votis, &c. Quare, cum necessitas dispensationis prædictorum duorum præceptorum non occurrat frequenter, non datur Episcopis ejusmodi potestas.

63. Hinc si supponas, sive per possibile, sive per impossibile, prædictum famelicum uti non posse remedio, quod attulimus *num. 28.* posset solum communicare non jejunus in periculo mortis; at pro tempore sanitatis procurare deberit dispensationem à Summo Pontifice, & interim, dum expectat, si urgeant feriæ paschales, se gerat perinde, ac si esset in locis, ubi nulla suppetit comunicandi commoditas, nam pro ea vice erit excusandus.

## CAPUT XI.

*An aliquando non jejunè communicare sine prædicta dispensatione Pontificis liceat?*

I. **I**nquires: Quot sunt casus, in quibus licet quis communicat non jejunus?

Li 2

2. Res



2. Respondeo : Ad quatuor capita eos reducam. Primò, ad dandum Viaticum graviter ægrotanti, unde & ipse infirmus (qua infirmitate dicitur mox *cap. 12.*) poterit communicare, non jejunos, & Sacerdos, in casu, quo non possit Sacra Hostia præconsecrata, nec alius Sacerdos in jejunos haberi, poterit ad dandum Viaticum infirmo, immò & sibi ipsi, si ei mortis periculum instet, celebrare, & consequenter communicare non jejunos.

3. Secundò, ad evitandum scandalum, & infamiam notam. Hinc Sacerdos, si dum sacrum peragit, recordeatur etiam ante consecrationem, se non esse jejunos, si non potest sine nota discedere, porro pergat ad reliqua; quia excusabitur à periculo hujusmodi notæ; ut interim taceam, quòd ex S. Bona Ventura supra diximus, Missam inceptam nunquam esse relinquendam; si verò recordeatur post consecrationem, multò tutius pergat; tunc enim obligabitur sacrificium perficere.

4. Huc reducitur casus, quem narrat, vel resolvit Tannerus *disp. 5. q. 8. num. 98.* Parochus cujusdam pagi ad festum suæ Ecclesiæ invitavit ex varijs pagis decem, vel plures Sacerdotes. Advenerunt, & ex his postremus advenit ille, qui aliquot ante diebus à parochio rogatus fuerat, ut solemne sacrum faceret; sed is, re non benè intellecta, priusquam à sua Ecclesia discederet, Missam coram suis Parochianis celebraverat; alij verò Sacerdotes, vel idem fecerant, vel jejuni non erant. Cùm ergo nullus Sacerdos adesset jejunos, quæsitum fuit, an in tanta solemnitate,

tantaque populi expectatione licuisset uni ex illis Sacerdotibus non jejunis celebrare?

5. Respondet Tannerus cum distinctione: si defectus jejunijs fuisset occultus; licuisset; quia ex duobus malis minus est eligendum; si verò ejusmodi defectus pluribus constasset, factius fuisset, quòd populus, prius tamen è suggestu caulam edoctus, dimitteretur sine sacro, quàm cum exemplo celebrantis sine jejunio populus discederet: & ita factum est.

6. Huic resolutioni Gobat *de communionem casu 9. quæst. 1.* non acquiescens, sic habet. Si hodie interesset huic actui, suaderem fieri sacrum ab uno ex illis, qui non nisi per ablutionem in Missa jejunium violasset. Primò, quia non esset timendum scandalum ullum; si enim pro concione diceretur populo, permitti ab Ecclesia in casu talibus circumstantiis vestiri hanc praxim, potius ædificaretur populus, quàm scandalizaretur. Secundò, ob grave, & publicum scandalum, quòd alia ratione vitari nequit, licite Sacerdos non jejunos sacrum faciet; ut post Suarium, aliosque concedit ipsemet. Tannerus num. 41. Atqui in nostro casu non potest facile, aut vitari vix potest grave scandalum, id est, gravis, & injusta indignatio, gravisque murmuratio contra Sacerdotes, multaque dictoria, eorum honorem, & existimationem lædentia. Tertio, quia idem Tannerus num. 92. rectè judicat, si festo Natalis Domini unus tantum Sacerdos adesset in aliquo Oppido, qui post mediam noctem fortè cibum sumpsisset,



set, neque alius inveniretur jejunus, neque scandalum evitari alia ratione posset, judicatur, inquam, illum rectè facturum, si unam Missam populo celebraret. Cur non ergo in casu nostro? Quare, quia nonnulli putant, non esse improbableem (quamvis ego id non admiserim *cap. 5. num. 36.*) fas esse Sacerdoti non confesso, & non habenti copiam Confessarij, Sacrum facere cum sola contritione, ut vel ipse, vel alij Sacro non careant die festo; & tamen confessio ante Communionem probabilissimè est ex præcepto divino, ergò multò magis Sacerdoti non jejunando concedenda est facultas celebrandi populo, expectanti solemne, & festivum sacram.

7. Hæc ex Gobat: in quo illud placere mihi non potest, quòd scilicet ipse suavisset, fieri Sacrum ab uno ex illis Sacerdotibus, qui non nisi per ablu-tionem in Missa jejunium violasset; id, inquam placere non potest; nam si Sacerdos sic non observasset duò præcepta; alterum de jejunio, alterum de unica missa celebranda eodem die. Sa-tius igitur fuisset, eligere unum, qui eo die non celebrasset.

8. Tertio, ad servandam Christo Domino reverentiam. Hinc si timeas, sacram hostiam inopinato incendio comburendam, vel ex hostili invasione in manus Hæreticorum devenituram, vel quid simile, poterit Fidelis, immò debet, si alius modus non est evitan-di, illam non jejunus assumere: an si non sit in statu gratiæ, dixi *cap. 8. n. 27.* an si sit laicus, ibidem dixi.

9. Quarto, ad servandam ratio-nem, & ordinem sacrificij. Id autem distinctius explico quatuor exemplis.

Primò. Quidam Sacerdos per inad-vertentiam imposuit in calice pro vino aquam, vel acetum, idque post ejus assumptionem cognovit; sanè benè se gessit (immò sic se gerere debuit) si vi-num, & aliam hostiam consecravit. ( poterat expeditius ex rubricis Missa-lis vinum dumtaxat consecrare ) & quantumvis non jejunus, illam assump-sit; benè, inquam, se gessit, quia ad id compulsus fuit à necessitate perfici-endi sacrificium.

10. Quæres primò. Si Sacerdos cognovit, illam esse aquam, dum eam habebat in ore, debuitne illam statim ab ore projicere, & non assumere, ut sic vitaret violationem jejunij natura-lis?

11. Respondeo, nequaquam, quia esset irreverentia, & forte periculum projiciendi aliquod sacræ hostiæ frag-mentum.

12. Quæres secundò. Si ejusmodi Sacerdos non cognovit, clarè fuisse ace-tum, sed sub dubio, quid fuisset factu-rus?

13. Respondeo, quia in dubio melior est conditio possidentis, ideo præsumere debuisset, illud fuisse vinum, nam possidet substantia vini, quæ prius est, donec probetur esse corruptum in acetum: quare pergere debuisset ad ex-plendum sacrificium.

14. Secundum Exemplum. Alius Sacerdos advertit, particulam hostiæ sacræ infusam, de more sacrificantium, in Calicem, Calici hæsisse; unde in-



fudit vinum purificationis in prædictum calicem, illudque assumpsit simul cum particula illa, nihil laborans, quod fortè prius in stomachum transmittetur vinum, quàm Sacramentum, & consequenter, quò non jejunus communicaret. Benè quidem se habuit; quia sic disponunt rubricæ Missalis, ut nimirum decenti modo particula distrahatur à calice, nec solum semel id fieri potest, sed etiam bis, ter, & quoties opus fuerit, donec cum reverentia illa trajiciatur. Scio, potuisse Sacerdotem digito ad labium calicis particulam illam adducere, & ante purificationem assumere, sed cerrè hic modus posterior est minus decens, quàm prior jam dictus.

15. Nota hìc primò: quòd dictum est de calice, dici item, si fortè particula, sive Sacerdotis, sive laici communicantis adhæreat palato; poterit enim purificatio sumi, non solum semel, sed iterum, & tertio, &c. modo dicto, donec, &c. Vide, quæ dicam in hanc rem infra cap. 16. num. 24. versus finem.

16. Nota secundò, idem concedit de Lugo de Euchar. disp. 15. num. 79. Sacerdoti pyxidem in Missa purificanti, nam si ante sumptam purificationem, & ablutionem vino in pyxide infuso, aliqua parvula fragmenta consecrata, simul assumit cum dicto vino, legitime assumit.

17. Quid si ex inadvertentia non purificavit pyxidem ante sumptam suam purificationem, ablutionemque? Respondet Fagundez p. Eccl. præcepto lib. 3. o. 18. num. 3, posse Sacerdotem,

pyxidem purificare, & sumere Sacramenti illius reliquias, dum est in altari, reputatur enim id totum una sacrificij consumptio.

18. Nota tertio, idem concedi à Marchino re. 3. de ordine p. 3. c. 3. num. 18. infirmis laicis, quibus post sumptam particulam licitè dari possunt simul cum ablutione, vel paulò post, reliquias, seu parva fragmenta, fortè inventa in pyxide, vel calice, quia censetur eadem moraliter comestio.

19. Tertium exemplum. Mortuus est, vel defecit inopinato post consecrationem Sacerdos in altari celebrans; præstò affuit alius Sacerdos non jejunus, qui advertens haberi non posse Sacerdotem jejunum, ipse perficit sacrificium, & quamvis cibatus communicavit. Rite profecò, quia semper in Ecclesia majoris momenti existimatum est, sacrificium inceptum non remanere imperfectum, quàm nõ jejunum communicare. Post consecrationem (dixi) saltem Sanctiss. Corporis; nam si nihil sit consecratum, cum nondum sit incepta substantia Sacrificij, non est necessitas, illud perficiendi, sed Missa erit omittenda ex S. Thoma 3. p. 2. q. 83. art. 6. aliisque.

20. Quartum exemplum. Sacerdos quidam sumpta ablutione, vel purificatione, advertit, in patena remansisse aliqua fragmenta parva suæ hostiæ consecrata, & statim ea sine cunctatione assumit, quamvis ob præassumptam ablutionem non fuerit jejunus. Sanè assumpsit legitime, ut simile quid diximus num. 16. de pyxide; quia ejusmodi parvula fragmenta facillè deperduntur,



tur, & major reverentia est, si (humanitè) non jejuno celebrante, quàm cum periculo in sacrario conserventur, vel consignentur alteri Sacerdoti, etiam paulò post sacrificaturo. Adde, hanc moraliter reputari ejuldem sacrificij consumptionem.

21. Dices: cum dictum sit (*parva fragmenta sua hostia*) quid ergo faciam, si hæc sint magna? quid si parva fragmenta ex sacrificio alterius? quid si ea inveniam post absolutum sacrificium?

22. Respondeo cum necessaria distinctione. Vel enim sermo est de fragmento tui sacrificij, sive parvo, sive aliquantulum grandiusculo, ut dictum est, à te invento post ablutioem, & hoc assumere certè licitè poteris: primò, statim post ablutioem sumptam, si tunc ea invenias: secundò, post absolutam Missam, dum es adhuc in Altari, quamvis multos communicaveris, si tunc invenias: tertio, etiam probabiliter in sacristia, antequam sacris vestibus spolieris; si pari modo tunc invenias.

23. Vel sermo est de eodem fragmento ex alieno sacrificio, & hoc poteris ex probabili sententia assumere; primò, statim post ablutioem, si tunc invenias; secundò, post finitam Missam (tamen si plures communicaveris) sed dum adhuc consistis in Altari, si tunc invenias: at tertio, non potes in sacristia, quamvis nondum spoliatus sacris vestibus. Ratio disparitatis esse potest, quia dum es in Altari, quidquid fragmentorum invenis, ad te pertinent, tuoque sacrificio veluti

adhærent; sed in sacristia nimis remote ad te pertinent fragmenta alieni sacrificij: dum contra, ad te pertineant fragmenta tua, dum sacras vestes non exuisti.

24. Semper autem in præcedentibus his *num. 21. & 22. &c.* locuti sumus de fragmentis, sive aliquantulum grandiusculis, sive parvis, nunquam enim potest licitè à non jejuno ex præsentis capite, de quo loquimur, assumi hostia grandior, nec particula integra, nec grande fragmentum; quia dicta licentia assumendi post ablutioem, vel purificationem solum conceditur pro reliquiis tui, vel alterius sacrificij. Lege De Lugo *loco cit.* & Granada *par. 3. controvers. 6. tract. 10. disp. 8.*

25. Dices iterum: Quid ergo faciam de illis particulis integris, vel grandiusculis fragmentis, vel hostia grandiore, si inveniantur à me post ablutioem, vel purificationem; nam ante purificationem; jam scio, me licitè posse?

26. Respondeo. In his, vel similibus casibus, si adest in loco sacrarium, ea ibi reponi debent; vel si sacrarium non adest, dentur comedenda ante purificationem Sacerdoti mox sacrificaturo, vel cum illis laicus communicari poterit. Verùm si nullum ex his possit, debet assumere ipse Sacerdos, quamvis non jejunos, id enim tunc exposcit reverentia tanto Sacramento debita, quia irreverenter quocumque alio modo, vel loco servarentur. Ita Fagundez *p. Eccl. præcepto lib. 3. cap. 18. num. 2.* Addit Gobat *de communione casu 19. quest. 4.* deferre illa ad sacrarium

in bini...

BVRIN

in

de præcepto

de

de

de

E III

306:



rium distans per viam emetiendam, tempore quadrantis unius horæ, esse nimis incommodum, secus ad aliquot passus: id quod facere facilè solemus, inquit, in nostris gymnasijs, quando in præcipuis quibusdam festis à gymnasio sacram hostiam ad Ecclesiam nostram ritè, & reverenter deferimus.

## CAPUT XII.

### De Sacra Communione.

#### Seu Viatico infirmorum.

1. **Q**UOD præceptum communicandi sub vitæ finem urgeat fideles omnes adultos, diximus *cap. 1. & 2.* ut etiam, an urgeat Fidelem, qui antea communicaverat, præsertim eodem die, diximus *eodem cap. 2. num. 10.* Nunc cætera hic de eodem argumento in proprio loco sunt addenda.

Recolo autem, hanc communionem sub vitæ finem vocari Viaticum, quod in quo consistat, explicuimus *eodem cap. 2. & quis ejus ordinarius minister, ibidem.*

#### Qualis debeat esse infirmitas;

2. **I**NQUIRES jam primò: cum dictum sit *ibidem num. 5.* ex quocumque capite sit probabilis timor vitæ, indigere nos Viatico, inter quæ maximè numeratur infirmitas; inquires, inquam, qualis esse hæc infirmitas debeat, quæ dat infirmo facultatem non jejuno communicandi?

3. Respondeo. Communem doctrinam esse, infirmitatem debere esse

gravem, quæ scilicet constituat hominem, vel in articulo, vel in periculo mortis. Articulus est, quando brevi ægrotus inevitabiliter est moriturus; periculum est, quando probabiliter, & prudenter mors non post multum tempus esse futura, timetur; id quod judicabit, vel Medicus, vel ejus parentes magis pro communiōne, quàm contra; benignè scilicet pro infirmo; & temper quidem est potius attendendum periculum, quàm articulus; ut scilicet ægrotus cum attentione, & devotione sacro Viatico reficiatur.

4. Hinc sequitur, omnes eos, sive pueros, sive fatuos, sive alios, quibus supra concessimus Communionem, concedi in fine vitæ, posse eam sine jejuniō suscipere, etiam si sani communicassent, modo quo explicuimus in supra dicto *cap. 2.*

5. Subinquires, si hic constitutus in mortis periculo, possit commodè jejunos communicare, obligaturne communicare jejunos?

6. Respondeo: ita ego in *opus. expedita communionis* cum multis existimabam; licet addiderim, non scrupulosè agendum hac in re, sed temper infirmo esse favendum. Nunc re maturius expensâ, lectisque aliquibus Doctoribus, puto, esse probabile, posse. Instat omnium sit Delgadill. qui *de Euchar. cap. 3. num. 4.* sic ait: Licentia communicandi in articulo mortis non jejune his verbis conceditur à Concil. Constantienf. *sess. 13. Sacrorum Canonum Autoritas, & approbata consuetudo Ecclesia servavit, & servat, quòd hujusmodi Sacramentum non*



sumatur à non jejuno, praterquam in infirmitate. Expendantur ultima verba; qua saltem in articulo mortis tollunt obligationem jejunii communicandi; unde non approbo limitationem aliquorum, existimantium teneri infirmum tunc communicare jejunum, si commode potest. Immerito tamen prædicta verba limitant: praterquam quod ex hoc causaretur in infirmis ingens scrupulorum inquietudo, an possent, vel non possent jejunii expectare communionem, ut ex Thom. Hurtado expendit Léander disput. 1. quest. 38. Hactenus Delgadillo.

7. Hanc Doctrinam idem Auctor extendit num. 42. ad quemcumque infirmum, qui tenetur pro articulo mortis communicare, atque ad eò ad eos pueros, eosque amentes, semifatuos, surdos, mutos, quos nos supra cap. 7. diximus, obligari in articulo mortis ad communionem.

8. Queres primò. Prædicta doctrina intelligiturne in solo articulo, an etiam periculo?

Queres item secundò. (Cum Concilium dicat, praterquam in infirmitate) an etiam quando quis non est infirmus, sed est in periculo mortis ob periculosam navigationem, periculolum prælium, &c. de quibus diximus c. 2.

9. Respondeo: De his nihil adhuc legi explicitum à Doctoribus, sed tamen consequenter ad dicta, ajo ad primum, etiam in periculo: in hac enim materia Viatici idem omnes Doctores sentiunt nomine periculi, & nomine articuli. Ad secundum parimodo idem dicendum esset, si mors non duntaxat

Tambur. de Precept. Eccles.

instet, quia identitas rationis id convincit; quæ est, ut in fine vitæ Fidelis cum omni libertate facultatem habeat communicandi, ad se roborandum, & reficiendum ex præsentia Domini; sed quia in his casibus extra infirmitatem video, usum esse contrarium, ideò hoc in praxim deducere extra infirmitatem non audeo, nisi in damnatis ad mortem, de quibus mox à num. 19. qui propter illum agonem vicina mortis æquiparantur infirmis periculosis.

10. Ne tamen ex textu Concilij prædicti colligas, posse infirmum non jejunum Eucharistiam suscipere, quamvis infirmitas iudicio medici, vel peritorum non sit periculosa; ex eo quòd Concilium sine limitatione absolute concedat in infirmitate, posse quemcumque aegrotum sine jejunio communicare; ne id, inquam, colligas; praxis enim Fidelium, & consuetudo approbata, qua innititur Concilium, solum de infirmitatibus periculosis erat, fuitque per tot annos, & nunc etiam est.

Quoties in eadem infirmitate communicare liceat?

1. Inquires secundò: Si durante eadem periculosa infirmitate, semel quis fuit sacramenta relictus, poteritne licite iterum non jejunus illam repetere?

12. Respondeo. Quamvis me non lateat, aliquos docere, posse duntaxat post mensem; aliquos post decem, vel octo dies; aliquos post septem; aliquos post sex; aliquos post tres; nihilominus invenio etiam D.

Kk

con-

in biblia

EVRI  
in  
de  
E III  
3016



concedentes posse etiam quotidie non jejunum. Legite Dian. p. 11. tract. 6. resob. 17. qui reprehendit Thom. Hurtadum dicentem, in una infirmitate solum semel esse infirmum communicandum, sicuti semel in eadem est Extrema Unctione unguendus. Demum, quod etiam quotidie communicare posset non jejunus, invenio apud Delgadillo, qui colligit, ut probabile *loc. cit. num. 45.* ex illo toties memorato principio, quod periculosè ægotantibus communicatio conceditur non solum ad satisfaciendum præcepto, sed ne tanto Sacramento, atque utilissimis ejus fructibus privetur ægotus; colligit, inquam, licitè posse ægotum, ægotatione periculosa durante, non solum iterum, verum etiam sæpius, immò quotidie absque jejunio, seu per modum Viatici communicare. Et quidem, quod sæpè, certum ferè esse, ait, apud multos; quod autem quotidie, probabiliter, defendit Leand. *tract. 7. disp. 1. quest. 40.* cum Castrop. Basseo, Exco-bar, Gasp. Hurtad, Dicastillo, aliisque ab ipso cit. quibus ipse Delgadillo se subscribit, confirmans id, ex dicto *Concil. Constant.* quatenus absolute, & sine limitatione temporis concedit prædictis infirmis, ut absque jejunio communicare valeant.

*An Sacram Hostiam ad infirmum deferri liceat ab ipso adorandam?*

13. **I**nquires tertio: An acquiescendum sit graviter ægotanti, si, quia ob vomitum, vel aliam causam communicare ipsi non detur, petat, ut

ad ipsum deferatur sacra Eucharistia, ad cujus saltem præsentiam in eo agone consoletur?

14. Respondeo certè in superiore ætate acquiescebant majores nostri, & Sanct. Bonaventuræ, tantæ doctrinæ viro, ob vomitum in fine vitæ communicare non valenti, delata sacra Eucharistia fuit ab ipso saltem adoranda; & simile quid factum in sacris historijs legimus, & per omnes Belgij Provincias fuisse id usu receptum, testatur Capetvilla apud Gobat *de communione casu 12.* Verum hodie ob reverentiam factum est, ut Pius V. & Sacra Congregatio Concilij id prohibuerit: unde id non esse nunc permittendum, docent Sà, Rodriguez, Posselin, & jam omnes, inquit Leander *disp. 1. quest. 42.* & ita in praxi esse servandum monet de Lugo *lib. 1. Resp. mor. dub. 11.* tamen Delgadillo *loc. cit. num. 48.* dicat, ipsi esse suspectum ejusmodi prohibitionis decretum, donec authenticè constet.

*An sanctissimus Christi sanguis in aliquo casu infirmo concedendus?*

15. **I**nquires quarto, an graviter ægotanti, & non valenti sacram particulam deglutire, liceat propinare Sanctissimum Christi Sanguinem?

16. Respondeo: Nequaquam licere; quia est contra gravissimam Ecclesiæ consuetudinem, ut alia interim taceam, quæ legi possunt apud de Lugo *loc. cit. dub. 10. num. 2.* Illud non est omittendum, hujus rei rationem non esse solum ob reverentiam, ne scilicet subit periculum effundendi aliquid de

Sacro



Sacro sanguine, quod facile evenire solet in rebus liquidis; sed hodie ejusmodi prohibitio, ut habet de Lugo *loc. cit. num. 8.* magis fundatur in odio Hæreticorum, ut extirpetur hæresis dicentium, non contineri totum Christum, sub singulis speciebus, vel usum Calicis esse necessarium, & Ecclesiam errasse ministrando unam speciem sine alia, quæ sunt tanti ponderis motiva, ut Ecclesia merito cum tanto rigore usum Calicis prohibuerit. Hæc de Lugo.

17. Is autem, qui tanta siccitate laborat, ut sacram particulam assumere nequeat, poterit adjuvari, ut alibi me dixisse, meminisse; si porrigatur parva pars particulæ, vino, vel simili liquore infusa: si adhuc sic non proficias, illum DEO devotè commenda, & ad templum regredere, sacram in sacrario reposituras.

*Quando, quæ dicta sunt, conveniant damnatis ad mortem?*

18. Certum est, hos communicare posse, immò debere, cum adfit promeritis omnibus, communicandi, seu accipiendi Viaticum, præceptum.

19. Nota autem duo. Primò, posse damnatum ad mortem non jejunum communicare, & quidem debere, si ei tempus opportunum communicandi jejunè non concedatur. Vide tamen, quod benignius dicam *num. 17.* & recolle, quæ modò dixi *num. 12.* Addit de Lugo de *Eucharistia disp. 5. num. 72. & 74.* non teneri Judicem ad differendam delinquenti mortem, etiam si

commodè possit, ut is jejunus communicet.

20. Nota secundo: Eundem Judicem teneri tamen sub mortali, concedere ejusmodi damnato tempus ad commuacionem percipiendam; quia Judex impedire non potest adimpletionem tanti præcepti. Unde meritò Pius V. Anno 1569. suo proprio motu reprobavit contrariam consuetudinem in Hispania acceptam. Excipe, nisi aliud quod grave damnum timeatur; neque enim audiendus est Fagundez *Præcept. 3. Eccl. libr. 1. cap. 4. num. 3.* diceas, etiam in casu, quo Judex timeat, aut certò sciat, reum ea occasione se datum in fugam, teneri sub mortali opportunum tempus concedere; non est, inquam, audiendus; quia præceptum charitatis non obligat eum tanto dispendio; & impedimentum commuacionis in hoc casu ipsi reo imputatur; non Judici volenti justitiæ actum, idque propter bonum publicum, exequi; præsertim etiam, quia ipsa realis Eucharistiæ susceptio non est simpliciter necessaria, cum satis sit in voto; idè non apparet, cur in Judice tanta tunc urgeat obligatio.

21. Idem dic, si reus nolit Sacramentum Pœnitentiæ suscipere; neque enim tenetur Judex, illum à morte tunc liberare; quia ad Judicem pertinet, delicta punire; ad reum, se ad mortem intra tempus oblatum præparare; quod comperens certè tenetur Judex offerre.

22. Discrimen tamen notabile agnoscit Quintanadennas *tract. 4. sing. 15.* inter Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucha-



Evcharistia; nam, quia Pœnitentia est magis necessaria, advertit, Judicem omninò obligari aliquantò longius tempus reo concedere pro confessione; lege enim charitatis tenetur prospicere salutem proximi; & ex alia parte, ut supponimus, ferè nunquam urget occidendi necessitas, nec periculum fugiendi.

23. Rectè igitur Sylvester *ver. Judex quest. 11. S. 60.* inquit: piè petenti tempus competens ad confessionem non est negandum, nisi crederetur, non ex devotione petere, sed spe ereptionis, quia sub patibulo petijt, qui non petivit in carcere. Hæc Sylvester; & tamen etiam ibi aliquod tempus competens ad confessionem illi esse concedendum, ne sit dubium.

*An reus possit Communicare eodem die, vel eadem hora mortis?*

24. **S**ed inquires quintò: Si reus non communicavit pridie ejus diei suæ mortis, vel antea, potestne, & debet communicare eodem, quo interficiendus est, die, vel hora?

25. Respondeo: Potest, & debet, quia urget præceptum, donec in hac vita sumus, nec eodem diem solùm; verùm etiam una hora ante supplicium, si antea non potest; quia intra spatium unius horæ certum est, ut supra notabamus, species Sacramentales consumari: quidquid dicat Sà, affirmans, Evcharistiam huic debere dari saltem tribus, vel quatuor horis antea, quod certè fateor, curandum esse; sed nostra doctrina, quæ jam hodie commu-

nis est, eamque satis multi docent apud Leand. *tract. 7. disp. 2. quest. 14.* agit, quando antea non potest: *Si illico, ait Quintanadvennas loc. cit. sing. 10. n. 15. post Evcharistia susceptionem esset rem suspendendus; non dubitarem ei Evcharistiam ministrare, si differre nollet Judex supplicium; Sacramenti enim hujus necessitas, & utilitas efficit, ne in hoc irreverentia nulla verenda sit; quod enim species illius in corpore vivo, vel mortuo consumantur non est inconveniens, & tunc poterit minima particula porrigi reo, ut consumetur eius.* Hæc ex illo.

26. Si quis infidelis (ut hac occasione id scias) convertatur in ipso patibulo adf. em, idem erit dicendum; nam poter. baptizari, & postea instructus eo modo, quo tempus permittet, de Mystero Evcharistico, poterit, & debet communicare, ut colligitur ex dictis, & docet Diana *p. 5. tract. 3. resol. 43.* sequutus Joann. Sanchez *disp. 40. à n. 3.*

*Quid, si dampnatus pridie communicaverit?*

27. **I**nquires sextò: si pridie prædictus reus communicavit, & ita jam implevit præceptum ex nostra lenientia allata *supra cap. 2. num. 6.* poteritne die ipsa mortis iterum communicare non jejunus? Communicare enim jejunum posse, dubium non sit.

28. Respondeo. Si heri e.g. communicavit jejunus, poterit communicare non jejunus hoc die (supplicij). Idem probabiliter dic, si heri communicavit non jejunus, poterit enim etiam

non



non jejuniis communicare hodie: nam hodie, præteritum si ex oblivione, vel propter aliam causam repèriatur cibus, uti poterit jure morientium, quibus in eo articulo conceditur etiam non jejuniis communicatio. Et ratio hujus juris etiam in eo, qui non adimpleverat præceptum, est, quia concessio non jejuniis communicandi non est solum propter satisfactionem præcepti; verum etiam multo magis, sicuti diximus num. 12. ut in illo die, quo quis tanta mortis agonia laborat, hoc subsidio, & consolatione roboretur, quam affert Christi Domini præsentia. Ita Quinana. loc. cit. probabilissime, citans Suar.

29. Quæres: si hæc conceduntur damnatis ad mortem, cur eidem omnino negatur Extrema unctio?

Respondeo. Nimis clara est ratio, nam, quamvis hi æquiparentur in aliquo cum infirmis, ut supra dixi. Totamen verè infirmi non sunt, pro quibus solis institutum est Sacramentum Extremæ unctionis, ut habetur Jacob. 5. *Infirmatur quis in vobis: induat Presbyteros Ecclesie, ut orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & si in peccatis sit, remittentur ei.*

*An pœnitenti hæretico relapso, ad mortem damnato, concedenda sit Communio?*

30. **I**nquires septimò. Hæretico relapso pœnitenti (quinam hic sit, vide apud Carenam mox cit.) concediturne sacra Communio, quando

relaxatur brachio sæculari perimendus?

Respondeo. Quoad Sacramentum Pœnitentiæ concedi omnino debere; loquimur enim de pœnitente, qui strangulatur quidem, sed mortuus deinde comburitur, nam relapsus impœnitens omni Sacramento indignus, vivus comburitur. Quoad communionem verò, quæ est quæstio ad nos hic pertinens, ut habet Carena part. 2. de Hæret. pœnitent. tit. 2. à num. 39. in Inquisitione Italica conceditur ejusmodi relapso pœnitenti etiam Evcharistia, non verò Ecclesiastica sepultura: At in Inquisitione Hispanica negatur prædicto Evcharistia propter periculum, inquit, quod posset evenire ex alteratione, quam recipit relaxandus brachio sæculari, sed ego dicerem potius ob terrorem aliorum.

### CAPUT XIII.

*Quædam an liceant Communione peracta, an spuerè?*

1. **I**nquires primò. An liceat statim à communionem expuere?

Respondeo. Nullum esse præceptum prohibens tunc expuere, ut notat Leander tract. 7. disput. 66. quæst. 44. Intellige, postquam non est periculum, quod aliquod fragmentum sacra Hostia in ore remanserit. Convenit tamen ob reverentiam tantisper expectare; de qua re, ut etiam de cataroso, & tussiente latè diximus supra cap. 7. à n. 46.



*An statim comedere?*

8. **I**nquires secundo. An liceat statim post communionem comedere, vel bibere?

Respondeo. Nullum extare præceptum prohibens hanc præproperam commestionem, potationemque præceptum enim solum est de non comedendo ante communionem, non verò postea. Et cap. *tribus gradibus de consecrat. distinct.* 2. quod abstinenciam per sex saltem horas mandabat, jam usu abrogatum est; nihilominus hodie timorati ob reverentiam, per horam plus minusve solent à cibo se continere, quamvis statim comedere, vel bibere nulla culpa sit. Hinc Dicastillo *disp. 9. num. 413. post Sotum*, ait, nihil dedecens admitti à Religiosis, qui quandoque statim à suo sacro ad communem mensam se conferunt.

3. **Q**uæres hac occasione. Facta Communione à laico, quid melius sit, sumere ablutionem, id est, parum vini, aut aquæ, an abstinere ab illa?

4. **R**espondeo. Quartus *in Rubr. Miss. part. 2. tit. 10. num. 6.* sic ait: *Congruit omninò, ut communicantibus detur ablutio, ut si fragmentum aliquod ori adhaferit, deglutatur, ne cum saliva expuatur; quare prætermitti non debet, tum ob cautelam prædictam, tum ob reverentiam Sacramenti, post cuius contactum decet ablutio, etiam digitorum Sacerdotis.* Hæc quidem ille congruenter. Sed quia video in nostris Siciliæ regionibus, vix id observari; ideo si fiat, bene est; si aliter, se conformem aliis reddere, bene

item est, nisi fortè sacra particula adhæreat palato, tunc enim necessaria est ablutio, de qua re dixi supra *capit. 11. num. 15.*

*An liceat debitum conjugale petere, vel reddere die Communionis?*

5. **I**nquires tertio. An die petenda conjugalis liceat debitum conjugale reddere, vel petere?

Respondeo, reddere, cum sit iustitiæ actus; item petere ad finem habendam proles, vel ad evitandum incontinentiæ periculum, qui sunt matrimonij fines, nullum esse peccatum, certum est: at petere ad finem solius delectationis, esse veniale putat Sylvestes, alijque apud Marchinum *de ordine. p. 3. c. 2. n. 6.* quidquid alij in contrarium sentiant.

6. **E**o die dictum est; nam si ob delectationem petatur statim à communionem, esset etiam irreverentia, nec à veniali excusanda. Verum tamen in eo casu concederem, quando id remedium esset necessarium ad evitandam incontinentiam: sed profectò quando non tanta necessitas?

*Quid de peccante mortaliter die Communionis?*

7. **I**nquires quarto: An peccet proprio sacrilegij peccato, qui eodem die, quo communicavit, mortaliter peccat?

Respondeo negativè; & quamvis propendeam ad dicendum, tunc aliquid aggravari ex hac circumstantia peccatum; tamen, quia non mutat speciem,



non erit necessario ad confessionem deferenda, cum sufficiat, ipsum peccatum in sua specie deferre.

8. Quid si non quidem eodem die, sed statim à communionem mortaliter quis peccet? Responder Diana *par. 11. tract. 8. resolut. 58.* quem citavi supra in simili *cap. 9. num. 4.* ait, fornicationem statim à communionem, ultra peccatum contra castitatem, peccare peccato sacrilegij in propria specie sacrilegij, specialiter Confessori aperienda; quam sententiam ego nunc approbo, si sit sermo de peccatis turpibus; at si loquatur de cæteris peccatorum generibus, non videtur eadem ratio, cum illa turpia magis opponantur puritati carnis Christi Domini; unde in illis major est, & specialis irreverentia contra ejus cultum, quam sit in cæteris. Id tamen sapientioribus discernendum relinquo. Vide omnino dicta *c. 9. n. 4. &c. c. 16. n. 26. in tract. de confessione.*

#### CAPUT XIV.

*A quo, & quo ornatu distribuenda est Eucharistia, & an ab omnibus Sacerdotibus?*

1. Quid minister distribuenda Fidelibus Eucharistia sit solus Sacerdos, & necessitate urgente, Diaconus, ex commissione tamen Sacerdotis, ut etiam semper, deficiente Sacerdote, quando porrigenda illa esset alieni, vel etiam sibi ipsi vita periclitantibus, quia tunc præsumitur commissio ipsi à Sacerdote facta, est extra controversiam. Sed sunt hic alia explican-

da ad ejusmodi ministrantem pertinentia, præter illa, quæ per occasionem dicta sunt supra, præsertim *c. 2. & 7.*

2. Inquires enim primò. An quilibet Sacerdos licitè ministret cuicumque ex Fidelibus indifferenter Eucharistiam?

3. Respondeo cum necessaria distinctione; vel enim agis de communionem necessaria, qualis est illa, quæ fieri debet in Paschate; & illa, quæ in fine vitæ; vel de voluntaria, qualis est ea, quæ fit à Fidelibus ex devotione, seu ex supererogatione; priorem non licet ministrari à quibuscunque Sacerdotibus, sed à Parochis, & Prælati, vel delegatis ab illis, ut supra *c. 2. & 4.* dictum est satis: posteriorem licitè quilibet Sacerdos ministrare potest omnibus indifferenter, etiam non petita licentia à Parocho, seu Prælato. Rationes hujus doctrinæ plures affert Delgadillo *de Evchar. s. 4. dub. 3. & 6.* nervisque omnibus confirmare contendit. Præcipua ratio est, quia, inquit, ex vi Ordinis Sacerdotalis, cuilibet Sacerdoti confertur potestas distribuendi Communionem voluntariam; nam sicuti quilibet Sacerdos habet ex vi ordinis potestatem, seu jurisdictionem ad confessionem Sacramentalem administrandam voluntariam, quæ est ea, quæ fit de venialibus, vel de mortalibus aliàs ritè absolutis; sic ad communionem voluntariam, quæ est ea, quæ fit infra annum ex supererogatione; eadem enim est ratio de confessione, ac de communionem.

4. Ad aliam rationem se convertunt De Lugo, Suarez, Vasquez, & omnes,

in b...  
BVRIN  
in  
de  
E. III  
806:



omnes, ut loquitur Leander *tract. 7. disp. 4. quæst. 3.* quia ajunt, omnes hodie Sacerdotes habent licentiam tacitam Parochorum, Episcoporum, & Prælatorum Regularium ad administrandam Eucharistiam voluntariè peccatis; (nota, quòd illa prior sententia recurrit ad potestatem datam in ordinibus à Christo, hæc ad datam à Pastoribus Ecclesiæ) ne scilicet defraudentur Fideles frequentatione tam utilis Sacramenti, si cogentur quærere, à quo illud suscipere debeant.

5. Ex his ergo jam colligis, extra Communionem Paschalem, & extra finem vitæ, Sacerdotem quemlibet tibi voluntariam communionem ministrare licitè posse, & consequenter eam à te posse suscipi, sive in templis Sæcularium, sive Regularium, sive ubicunque celebretur Missa, ut in Superiorioribus me iterum dixisse, recordor.

6. Nec obstat, quòd multa privilegia sint hac de re concessa Religiosis, aliisque; non obstat, inquam, quia hæc concessa sunt, ut sæpe numero sit, vel ad scrupulos avertendos; vel pro illis, qui sustinent, etiam ad voluntariam communionem necessariam esse Pastoris, vel ejus delegati licentiam.

#### Quid de Laico?

7. **I**nquires secundò. An aliquando liceat Laico, atque adeo Subdiacono, vel Clerico in minoribus, Eucharistiam aliis distribuere?

Respondeo. Duas de more esse sententias; altera negat, ne in casu quidem necessitatis urgentis dandi, deficientibus Sacerdotibus, Viaticum infir-

mo. Ita sustinent Filliuc. De Logo, Fagundez apud Leand. *tract. 7. disp. 14. quæst. 13.* quibus adde Marchinum de Peste *part. 3. cap. 8. num. 6. & cap. 9. num. 7.* Ratio præcipua est, quia sic postulat reverentia tanto Sacramento debita, quam expendit *capit. Provincia, de consecrat. distinet. 2.* sic dicens; *Quidam Presbyteri intantum, parvi pendunt divina Mystera, ut Laico Corpus Domini tradant ad deferendum infirmis;* & sic addit: *Interdicit Synodus, ne talis temeraria presumpcio amplius fiat.*

2. Altera in tanta necessitate urgentis mortis, nec præstò existente Sacerdote, concedit, posse Laicum, infirmo Eucharistiam, immo & sibi ipsi, si alius non adest, potrigere. Ita Reginald. Lessius, Castrop. Thom. Hurtad. aliique quos citat, & sequitur probabiliter Leander loco cit. Id quod mordicus defendit Delgadillo *cap. 4. de Euchar. a. num. 36.* Ratio præcipua est, quia, quòd Sacerdos aliis distribuatur Eucharistiam, solum est de præcepto Ecclesiastico, neque enim apparet, quòd sit de divino; at præcepta Ecclesiastica non urgent in tanta necessitate, & usus primitivæ Ecclesiæ, quo Sacer Minister dabat in laicorum manus communicare volentium, sacram Eucharistiam, ut eam in proprias domos deferrent, postea assumendam; usus, inquam, hujusmodi ostendit, accipere à solius Sacerdotis manibus Eucharistiam, esse solum de consuetudine hodie, vel de dispositione Ecclesiæ; quæ, ut dictum est, in tanta necessitate non obligant, præsertim cum hæc non sit.







An cum parte sua Hostia liceat, Sacerdoti alios communicare?

13. **I**nquires tertio: An Sacerdos licite communicet Fidelem, ei partem suae hostiae porrigendo? Respondeo: Sanè licebit; quia sic etiam Christus Dominus fregit; & dedit &c. atque ex alia parte nullum est præceptum, neque legitima consuetudo in oppositum introducta. Ita Emman. Sà, Ver. Eucharistia num. 15. Joan. Sanchez disp. 22. num. 21. de Lugo de Eucharist. disp. 20. n. 69. alijque,

Quo ornatu distribuenda est Communio à Sacerdote?

14. **I**nquires quarto: Quo ornatu, seu vestibus Sacerdos alijs Eucharistiam ministrabit? Nam supra cap. 10. num. 8. solum diximus, quem ornatum ipse, qui Eucharistiam suscipit, habere debeat.

15. Respondeo: Sanè cum stola, & superpelliceo, si loco superpellicei uteretur alba, non possem illū condemnare, sicuti nec Marchinus tractat. 2. de ordine cap. 8. num. 6. eum condemnat, si deficiente stola, distribuat cum solo superpelliceo. Et sicuti Delgadillo de Eucharist. capit. 4. num. 60. non condemnat saltem de mortali eum, qui sine superpelliceo distribuerit Fideli sano; multò minus condemnaret, si Fideli graviter ægotanti, quando superpellicei, vel albæ copia haberi non potest; quamvis Leander loc. citat. damnet de mortali. Quid ergo nos dicemus? Equidem Sacerdotem decenter habitu

Clericali, vel habitu Religioso indutum, solaque stola ornatum, vel cum solo superpelliceo, aut sola alba condemnare (aliqua existente necessitate) non possem; quia, dum decencia debita servetur, & vestes in distribuenda Eucharistia (aliud longè diversum est in celebrando; de quo agitur in tract. de Missa) non sunt tanti momenti. Escap. sanè de celebr. Missarum, quod inducit Leander pro superpelliceo, vel est de solo consilio, vel usu abrogatum est; scandalum autem adstantium, & quod times, facile removeri potest, si illos instruas de veritate.

Quid de alijs Caremonijs fieri solijs in distribuenda Eucharistia?

16. **I**nquires quinto: Estne peccatum, omittere, dum à Sacerdote distribuitur Eucharistia, illas alias caremonias; puta, luminis accensio, confessionis generalis, absolutio peccatorum &c. per illa verba Misereatur vestri &c.

17. Respondeo. Leander affirmat esse mortale, & movetur ex eo, quòd in cap. Sanè de celebr. Missa habetur, quòd accendatur lumen quando extra Missam Eucharistia dispensatur; sed ego sequor Suarez disp. 72. sect. 7. & Dian. par. 10. tract. 16. resol. 4. aliosque, in eorum omissione solum cognoscentes veniale, & in necessitate cum Paxjord. libr. 3. tit. 3. num. 32. nullum. Neque plus velle potest dictam e. sent. si loquamur de lumine accendendo, quando communio distribuitur extra Missam; nam, dum celebratur sacram,



alia est ratio. Accendendum autem hoc lumen in distribuenda Eucharistia semper intelligitur (præter lumen lampadis) de alio lumine, seu candela: Dico extra Missam, nam, dum celebratur sacrum, qua obligatione debeat adesse lumen, alibi dictum est in opusculo nostro de sacrificio Missæ lib. 1. c. 5.

18. Dices: quandoquidem hujus lampadis coram Sanctissimo facta est mentio, scire cupio, quid juris de continuo ardente lumine coram illo?

19. Respondeo. Quintanadven, de Euchar. sing. 1. damnat peccati mortalis Parochum, & consequenter Superiorem Ecclesie, si eo sciente, & consentiente, lampas ante Ven. Sacramentum integro die non ardeat; & proinde non leviter delinquere ædituum, qui per tres, aut quatuor noctes relinquat lampadem extinctam, quia Paul. V. in suo Rituali mandat, continuè ardere illic lampadem; si verò per unam tantum horam, aut quid ampliùs, peccatum grave non committere. Ita Quintanadvennas.

20. Quibus relatis, subjungit Gobat de communione cap. 2. in hunc modum. Nostra Synodus Constantiensis dicit quidem, ardeat noctes, atque dies coram tabernaculo lampas; non tamen utitur verbo, reatum lethalem inducente; & vidi pluribus in locis, partim ob inopiam, partim ob longam consuetudinem, & etiam alicubi ob torporem, non ita severè observari hanc doctrinam, quam non admitto universaliter in tanto rigore. Hactenus ille.

21. Nos in nostris Siciliae diocesisibus rigidiores in hac re sumus; & cer-

tè cujuscumque Ecclesie legitima consuetudo servanda est. Leander quidem tract. de sacrificio. Missæ disp. 7. quæst. 71. ait, non esse quidem præceptum in jure de hac continuatione lampadis coram Sanctissimo; esse tamen sub mortali universalem Ecclesie consuetudinem, licet etiam hanc neget Marchantius apud eundem, præter modò dictum Gobat. Iterum igitur dico, servandam esse cujuscumque Ecclesie consuetudinem.

## CAPUT XV.

*Quomodo prædicta sint observanda in communicandis peste infectis.*

1. **V**T id, atque ea, quæ huc pertinent, plenè explicentur, inquire primò, qua obligatione teneantur Parochi ad Eucharistiam porrigen- dam contagiosa peste infectis.

2. Respondeo, cum Filiberto Marchino de peste part. 3. qui, cum ex communi Theologorum sententia, dixisset cap. 1. num. 10. regulariter loquendo, Parochum utpotè Pastorem bonum teneri sub mortali, etiam cum periculo vitæ, per se, vel per alium, Sacramenta Pœnitentiæ, & Baptismi prædicis ministrare, si opus fuerit; deinde addit cap. 2. quoad Sacramenta Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis diversimodè loqui Theologos: alij enim cum Joanne Echio putant, obligari etiam ad hæc Sacramenta infectis ministranda, quamvis cum certo eorum vitæ periculo: alij cum Suario obligari solum ad



ministrandam Eucharistiam, non verò Extremam Unctionem: alij cum Philiarco, alijsque ad neutrum obligari, modò infectus, sit legitimè confessus.

3. Dico ergo cum eodem Marchino, hanc tertiam sententiam amplectente, Parochum, postquam, ut dictum est, sive per se, sive per alium peste infectòrum confessionem audivit, absolvitque, non esse sub mortali cogendum, ad ministrandam prædictis Eucharistiam, vel Extremam Unctionem, cum admodum verisimili vitæ periculo; esse tamen id magnæ perfectionis, & charitatis opus, dubitare neminem posse. Ratio præcipua hujus tertie sententiæ est, quia ritè confessus, & absolutus jam manet in statu gratiæ, & sic gloriam non amittet, atque ex alia parte Parochus ex vi curæ pastoralis solum tenetur vitam exponere pro necessarijs ad salutem suarum ovium, non verò pro non necessarijs; ad hæc enim tunc obligatur, quando ea conferre potest sinè claro suæ vitæ periculo; secus nimis supra humanas vires exposceremus à Parochis; unde judicandum, per assumptionem officij, ad hæc non necessaria, non tam rigorosè sese obligasse.

4. Confirmatur hæc sententia ex declaratione Sacræ Congregationis ad S. Carolum Borromeum missa de qua ibidem testatur Marchinus.

*Die 3. Mensis Decembris 1677.*

*Congregatio censuit, scribendas esse litteras ad Carolum Borromeum in hanc formam.*

*Parochi tempore pestis tenentur omninò residere in suis Ecclesijs Parochialibus,*

*& si non residant, agendum contra eos ex Decreto cap. 1. sess. 25 & servanda forma ibi præscripta; ministrare vero Parochianis peste infectis Sacramenta Pœnitentiæ, seu confessionis, & Baptismi per alios.*

*Et licet Alciatus diceret, quod ex duobus ultimis verbis videatur prohiberi, ne Parochi etiam volentes per se ipsos hæc duo Sacramenta ministrarent; tamen verba Congregatio dixit, quòd ista verba mens Sanctissimi in prohibendo hæc Parochis, ad commodum Parochianorum, qui sani essent; hi enim universales nolent conversare cum Parochis enstitis ad infirmos peste.*

5. Hactenus Congregatio, quæ cum solum requirat curam Parochorum pro ministranda pœnitentiæ, & Baptismo in illo periculo, videtur eodem excusare à ministranda Eucharistia, & Extrema Unctione. Et tanè non solum excusabuntur; verùm etiam obligabuntur hæc duo sacramenta non ministrare, quando ob administrationem horum decesserit, vel defecturus esset, qui postea administraret Pœnitentiæ, vel Baptismum; sic enim nocerent gregi; non prodesse.

6. Dicitur est autem num. 3. (cum admodum verisimili periculo) nam si periculum non esset hujusmodi, ut evenire solet initio pestilentiæ, quando nondum certum apparet periculum, vel quando contagium leviter sensit, paucissimi que inficiuntur; sanè ex vi sui officij cogendi sunt Parochi ad ministrandam etiam Eucharistiam, & Extremam Unctionem, ut notat ibidem Marchinus n. 18.



7. Notatque idem n. 19. cum Fil-  
hicio: si peste infectus, morti proxi-  
mus, Sacramentum Pœnitentiæ pro-  
peter aliquod impedimentum non su-  
scipit, omninò Parochum, sive per se,  
sive per alium teneri, infecto illi sa-  
cram Unctionem conferre, ut scilicet  
si fortè peccato mortali sit maculatus,  
possit attritus cum Sacramento Extre-  
mæ unctionis in gratiæ statu poni.

8. Notat denique Leander apud  
Delgadillo cap. 4. de Evchar. num. 52.  
in prædicto tempore pestis licitè defer-  
ri Evcharistiam ad peste laborantes abs-  
que præcedenti lumine, vel sine stola,  
vel superpelliceo, quando hæc com-  
modè adhiberi non possunt, quia ip-  
sum Sacramentum, debitaque illi re-  
verentia quasi cedit tantæ infirmi ne-  
cessitati.

*An peste infectis ministrare  
liceat Evcharistiam aliquo  
Instrumento?*

9. Quoniam Suarez de Pœnit. disp.  
44. sect. num. 20, alii que al-  
lati, approbati que à Marchino loco cit.  
cap. 3, dicunt, non esse incongruum,  
peste infectis ministrari à Parochis, ut  
magnum vitæ discrimen effugiant, Ex-  
tremam Unctionem à longè, virgulâ  
quâdam argentea, sive ex alia congru-  
enti materia. inquires secundò, an id  
liceat in Evcharistia, hoc est, per ali-  
quod instrumentum affabrè factum,  
porrigere infecto sacram hostiam?

Ut hæc quæstio dilucidetur, habe-  
hic, quæ docet contra hoc instrumen-  
tum Marchinus, quæque docet Man-  
cinus in favorem.

10. Marchinus loco cit. cap. 5. n. 6.  
sic pronunciat. Dico, regulariter lo-  
quendo, usum hujus instrumenti in-  
administranda Evcharistia esse hoc tem-  
pore reprobandum: sic Bonacina, sic  
etiam Concilium quintum Provinciale  
Mediolanen, in quo quindecim Epi-  
scopi, & inter eos multi doctissimi in-  
terfuerunt. Ratio est, tum ob reve-  
rentiam tanti Sacramenti, quæ requirit,  
ut administretur à manu consecrata,  
tum ob periculum, ne sic deiciatur Sa-  
cramentum. Confirmatur, quia graf-  
sante eo anno per plures partes pesti-  
lencia, nullus Episcopus usum hujus-  
modi instrumenti permisit. Quare  
Possevinus, qui citatur contra hanc sen-  
tentiam, postquam usum dicti instru-  
menti, quasi disputativè approbare vi-  
sus est, tandem sic adjecit: ego tamen  
non recederem à communi usu Eccle-  
siae, quæ est ministrare immediatè ma-  
nu Sacerdotis. An autem (addit Pos-  
sevinus) qui illo instrumento uteretur,  
peccaret mortaliter, dubito; quia con-  
traveniret gravi cæremonia Ecclesiae  
universalis.

11. Praxis ergo ad evitandum con-  
tagium in eo tempore erat, ut os ejus  
infecti, qui Sacram Evcharistiam sulci-  
pere debebat, aperiret, ut sic exhalaret  
pestifer halitus; deinde Sacerdos elon-  
gabat brachium, & ab infimo longè  
distans, sacram hostiam eidem dispen-  
sabat; statimque absque ulla mora di-  
gitos, & totam manum aceto abluebat.  
Hæc Marchinus.

12. Sed contra Mancinus sic ha-  
bet in practica de visitandis infirmis pra-  
ctica 8. Potes, secluto periculo irre-  
verca.

in biblioteca  
EVREIN  
in  
de  
E III  
30.6.



verentia; uti aliquo decenti instrumento ad communicandum peste infectos, ut mortis periculum evites; nam, quod tibi prodest, & alteri non nocet, facile concedendum. Ita Posslevinus, quem sequitur Victorellus; & hic quidem ait: sicuti sacra Eucharistia potest ministrari patenâ, ita posset aliquo instrumento affabrè factò, etiamsi istud non sit, ut est patena, consecratum: nam posset responderi, pyxidem, in qua servantur particulae, non oportere esse benedictam, ut tenet Azor, ita ergo nec instrumentum affabrè factum ad hunc effectum communicandi infectos: & quidem hanc opinionem idem Bonacina probabilem esse putat.

13. Accedit denique usus assiduus, quem tenet D. Petrus de Marchis Archiep. Smyrnen. in sua Diœcesi, in qua assidue pestis viget; & ipsemet Patribus meæ Religionis ministrantibus infirmis retulit, estque huiusmodi. Post illorum Confessionem Sacramentalem, Sacerdos ponit reverenter particulam consecratam super folium paginæ albæ, existens super scabellum ad id præparatum, & dictis verbis, *Domine non sum dignus, &c.* infirmus accedit ad Sacramentum, & lingua particulam sumit, accipitque à Ministris purificationem, & interim Clericus candela accensa in summitate virgæ paginam illam comburit. Hæc præfatus Archiepiscopus. Quem usum probabilem puto, tutaque conscientia teneri posse tempore pestis tantum. Hætenus Mancinus.

14. Advertis ingeniorum diversitatem inter duos tam vicinos nomine,

quàm sententiis distantes. Hinc tamen collige, utramque opinionem admitti probabiliter posse: quoad scandalum verò, si forte ex alterutra timeatur, facile illi occurre, monendo adstantes de probabilitate, securitateque opinionis. Sententiæ Mancini adhaeret etiam Venerus, & Marcant. apud Dianam *part. 3. tract. 4. resol. 114. & part. 5. tract. 3. resol. 50.* eandemque probabilem vocat Barbosa, & Paxiodan. apud Gobat *de Communione casu 21.* admittitque Gavantus in *Enchiridion. Episcoporum Ver. pestis num. 7.* & idem Gobat limitans pro locis, ubi sic usurpatur, addens ibidem alium modum communicandi prædictos peste laborantes, nempe si sacram particulam imponas spatulæ, atque ita portigas ægroto, statim deinde spatulam abluturus. Ita Gobat. Spatula autem est instrumentum ad gladij formam factum, seu ad similitudinem frondis arboris palmæ. Quod si latior, & in parvæ patenæ formam (ut sic caveatur periculum) summa pars sit, fiatque ex argento, vel simili decenti materia; nec, ut dixi, sit periculum, quòd decidat facile sacra particula; si, inquam, sic fiat, videtur ad intentum nostrum aptius instrumentum, quàm prædicta pagina, & scabellum.

15. Idem Archiep. Smyrnenf. (ut id etiam hac occasione non omitatur) Extremam Unctionem peste infectis sic administrari posse, asseruit. Ligant in summitate virgæ parvæ globum bambaceum, quem oleo sancto Sacerdos intingit, & ungit partes corporis ungendas cum debita forma; deinde

cum



eum alia virga, in cuius summitate est alligatus parvus etiam globulus stupæ, seu bambacis, partes unctas abstergit cum consueta observationibus, &c. Hæc ex Archiepiscopo Smyrcens. Mancinus ibidem.

## CAPUT XVI.

An indigno ministranda sit aliquando Evcharistia publico, vel occulto peccatori?

**R**egula generalis hæc de re est sequens, tres habens partes. Prima pars est huiusmodi. Communionem negabit Sacerdos, sive Parochus, sive non Parochus peccatori publico publicè petenti. Secunda est: negabit item occulto petenti occultè, sed non negabit occulto publicè petenti. Tertia est: concedet publico, vel occulto, si non constet, eos consistere in luto peccati. Ratio horum ducitur ex illis duobus principiis, quòd scilicet non est dandum Sanctum canibus, *Matth. 7.* & quòd conservanda semper est fama proximi. Legite hæc latè apud Suarez *disp. 67. sect. 5.* & Fagundez *precept. Eccl. 5. lib. 3. cap. 10.*

2. Ad majorem tamen explicationem pro praxi, nota primò: si peccator occultus petat quidem occultè, sed præsentibus aliquibus, qui illius peccatum sciunt, nesciunt tamen penitentiam, tunc ille non est occultus respectivè ad hos, apud quos jam amisit jus famæ, & nec dum constat, illam recuperasse per emendationem; quare deneganda est ipsi communio: quòd

si vel unus tantùm ex assistentibus ejus peccatum reseiat, erit sanè occultus, & ei non erit deneganda communio, quia tunc petens communionem retinet jus famæ, quæ non amittitur, nisi per publicitatem, quam nunc non adesse, supponimus.

3. Nota secundò, si scias peccatum alicujus impœnitentis ex sua Confessione Sacramentali, qui tamen petat communionem sive publicè, sive occultè, eam, ne quæso, deneges; ita te obligante rigoroso sigillo confessionis, etiamsi occultissimè petat; id enim esset expropriare peccatum penitenti, quamvis ipse solus adverteret.

4. Nota tertio, illud hic difficile est in praxi, quomodo cognoscatur, petens Evcharistiam, amisisse, vel non amisisse jus famæ; unde ipsi petenti debeam, vel non debeam morem gerere? Habe præ oculis sequentem distinctionem, quam colligo ex Carumuele *lib. 3. Theolog. mor. num. 1393.* Vel antequam accedas ad altare, scis Petrum e. g. peccatorem publicum à te velle petere Evcharistiam, vel nescis antea, sed dum ibi existis, accedit ad te communicaturus dictus peccator; si sit hoc posterius, regulariter illum communica; quia in eo temporis momento, iisque circumstantiis non potes deliberare, an ille fuerit à Deo tactus, & consequenter confessus, & emendatus: quare, nisi evidentissimè tibi constet, ipsum adhuc esse in peccato (quod certè id difficile videtur, id tibi constare, tunc posse) non potes illum repellere.

§. Si



5. Si sit illud prius, hoc est, antequam ad altare accedas, scias, Petrum e. g. esse peccatorem, tunc examina diligenter tecum circumstantias, seu indicia obstinationis, vel emendationis, nam si omnibus à viro prudenti expensis, publicus ita est, ut nulla tergiversatione cæleri ejus peccatum, seu impœnitentia possit (ut e. g. ob concubinam domi adhuc retentam) audacter repelle; secus, benignè admitte.

6. Tunc autem per nullam tergiversationem cæleri potest peccatum, non quidem quando adest sola probabilitas, sed quando adest ejus peccati evidentia, vel adsunt ejusdem peccati violenta indicia, quæ certè pariunt evidentiam moralem.

7. At quanam est hæc evidentia moralis? Respondeo, est illa, quæ innititur talibus indiciis, ut ex nulla probabilis ratione depelli, vel obscurari valeat id, quod ex illis indiciis enasci videtur; sive, quæ tales habet conjecturas, ut nihil appareat, quod contrarium suadere probabiliter possit. Ejusmodi est commune exemplum, nudum cum nuda invenire in loco occulto ad inferendum turpem congressum.

*Num. & quando communicandus? peccator infirmus?*

8. **A**T inquires primò: ego Confessarius vocor ad meretricem e. g. vel usurarium publicè infames in lecto graviter, sed integris sensibus decumbentes, ut illis ministrem Viaticum, vel etiam confessionem, quomodo me prudenter geram?

Respondeo cum Suárez *disp. 67. sect. 2. de Euch.* & cum Tannero *disp. 5. q. 2. num. 209.* ut his Communio ministretur, satis esse, ut pro temporis conditione ritè confiteantur. Adde tamen, ne scandalum aliis præbeat, opus esse, ut publicetur à Parocho, seu Confessario, vel aliis emendatio meretricis, vel usurarii (nisi ex circumstantiis hæc sit aliunde publicata) cum consensu infirmi, quem omninò dare tenetur, si velit communionem.

9. Ut autem ritè talis e. g. meretrix confiteatur, poni debent hæc sequentes quatuor conditiones, quas affert Navarrus *in man. cap. 3. num. 14. sub littera E.* loquens de eo, qui est in occasione proxima, & illam relinquere non datur.

10. Prima, ut promittat quærere omni conatu modum abeundi à Lupanari, seu à loco, ubi de facili peccata committit; nisi fortè justam, eamque gravem causam habeat, sibi permanendi; puta, quia hic, & nunc alium locum habere non potest, sed promittat nihilominus, alium quærere, quantum ejus vires possunt.

Secunda, ut adsit vera penitentia, & dolor.

Tertia, ut adsit verum propositum non peccandi de cætero.

Quarta, ut adsit peculiare propositum, quod gratia Dei adjuvante, quæ nunquam deest, firmiter statuat, non peccaturam ex illa occasione, in qua est. Notat tamen ibidem Navarrus, non esse opus credere, seu sibi persuadere, nunquam in posterum se peccaturam, cum satis sit, ut omninò nolite-



posteriorum ipsa peccare; æquè enim hæc duo sunt contraria, siquidem credere, est actus intellectus; nolle, est voluntatis actus.

11. His habitis, eam absolvere, & evulgata, ut jam dixi, ejus emendatione, sacro Viatico munire potes. De his multa minutiora habet Thomas Hurtadus tom. 1. ref. mor. tract. 1. num. præferimus. 1.

*An communicandus peccator moribundus sensibus destitutus?*

12. **I**nquires secundò: Quid si ego idem Confessarius, vel Parochus vocer ad graviter ægrotantem publicum peccatorem, qui omnibus sensibus est destitutus, debetne hunc reputare indignum communione?

13. Respondeo, in hoc desperato casu poteris illi tunc impertire absolutionem Sacramentalem. Primò, quando unus, vel una testetur; illum sui compotem petijisse confessionem. Secundò, quando in eo vitæ periculo dedit aliquod signum doloris, tundendo e. g. pectus, Imaginem Sanctam piè aspiciendo, &c. Tertio, si haberi neutrum ex his possit, adhuc in praxi probabile judicant, aliqui viri docti, huic Christiano, Christianamque vitam professo, posse sub conditione impendi absolutionem: sicuti etiam omnes notant; sub eadem conditione debere dicitur absolutionem dari in illo secundo casu, quando infirmus solum prædicta signa dedit, & confessionem non petijt. De his agit in tr. de confessione, & nos aliqua attulimus supra c. 7. n. 19.

*Tambur. de Præcept. Eccles.*

14. Denique his ita dispositis, & instructis adstantibus de probabilitate doctrinæ, ne scandalum patiantur, poteris ejusmodi ægrotò præbere Viaticum, addendo tamen tria. Primò, assistentibus infirmo edicas, ut si æger, fortè ad sensus redeat, ipsum admonent, ut diligentius confiteatur; id quod certè temper fieri debet, quando propter aliquam necessitatem perdendicitius vitam confessio non fit integrè materialiter. Secundò, ut seridè promittat, cum convalescit, occasiones peccandi omninò tollere; dum, & etiam antequam convalescat, si potest, tollat. Tertio, ut dum interim ægrotat, e. g. in lecto decumbit, causa seu occasio peccandi, illi ne offeratur; Amasius e. g. illam ne invisat; secus ex Amasio præsentè facillè in pravas cogitationes, & affectus reincideret.

*An particulam non consecratam aliquando porrigere liceat peccatori occulto?*

15. **I**nquires tertio: An detur aliquando casus, in quo peccatori occulto possit porrigi hostia non consecrata, quasi porrigeretur consecrata? Exemplum solet afferri de puella obstinate peccante cum juvene, quam frater occidere minatus sit, nisi videat oculis sororem communicantem; de hac quæritur, an Confessor, non valens illam à peccato avertere licitè ipsi possit ministrare particulam non consecratam, quo pacto illa sacrilegium non commitet, & frater ab occisione se continebit?

Mm)

16. Re-



16. Respondeo, cum S. Thom. 3. part. *quæst.* 4. art. 6. nullo modo licite posse; quia siue particulam consecratam jungas cum non consecrata, siue eandem non consecratam quomodo-cunque occultes, semper ipsa porrectio facta fidei genuflexo, & communicare simulanti, factaque cum ijs adjunctis, quibus solent Fideles communicare, est cultus religiosus externus, qui non potest licite dari, nisi soli consecrata; quare hac simulta porrectione uti, esset semper Idololatria delictum. Nec obstat, quod illa simulatione evitaretur mors puellæ, nam non sunt mala faciendæ, ut eveniant bona; quod est commune proloquium Theologorum, & Canonistarum; quidquid dicat Villalobos apud Dian. p. 3. *tr.* 6. *ref.* 83. & p. 4. *tr.* 4. *ref.* 47. qui prædictam simulationem concedit.

*An Sacerdos indignus, hoc est, peccator possit sine peccato a-  
liis ministrare Evcha-  
ristiam?*

17. **D**ictum est de Sacerdote communicante indignum. Nunc verò per hanc occasionem inquires quartò, quid si ipse Sacerdos est indignus, hoc est, si ipse in peccati mortalis luto versatur, poteritne sine peccato Fidelibus Evcharistiam distribuere? Non quero de Sacerdote excommunicato, nam de hoc paulò post dicendum erit.

18. Respondeo duplicem esse sententiam. Primam sequuntur Suarez, Bonacina, Sylvester, Marchinus, alijque apud Leandrum *tract.* 7. *disp.* 5.

de Evcharist. *quæst.* 35. peccato mortali-  
liter affirmantes; quia summa irreve-  
rentia est, ajunt, in peccato mortali Ev-  
charistiam tractare.

19. Quod si ab iisdem petas, quot peccata mortalia committat in confessione distinctè explicanda, qui in mortali, e. g. decem, viginti, centum, siue extra, siue intra Missam Evcharistiam porrigit? Respondet Marchinus, alijque apud eundem Leandrum *tractat.* 5. *disp.* 8. *quæst.* 18. tot peccata, quot sunt peccatorum, quibus porrigit, distinctè manifestanda in Sacramentali Confessione, quia sunt tot actiones pravæ, quot Sacerdos ille communicat.

20. At respondent Henriquez, Fagundez alijque apud eundem Leandrum cum distinctione; si pluribus successivè, & continuatè, vel cum modica intercedente morula distribuatur, unico peccato peccare; si non continuatè, sed per notabilem moram, tot peccata committet, quot vicibus ad Fideles communicandos accedit. Ratio dictæ distinctionis est, quia propter illam continuatam successivè illæ distributiones, quamvis sint plures physice, tamen moraliter judicantur ut una; id quod non est, si continuatè non sit distributio.

21. Hanc eandem distinctionem in alijs materijs usurpant non pauci DD. apud eundem Leandrum *tom.* 1. *de cens. disput.* 4. *sect.* 44. & de Lugo *disp.* 16. *de Pœnit.* a num. 557. Illa est multum communis, qua dicunt, Confessarium in peccato mortali existentem, multos modo dicto continuatè abfolventem, semel peccare verò plures.



nes, si non continuatæ, sed per notabilem moram, &c. atque hæc de prima sententia.

22. Secundam ergo sequuntur. Valquez, De Lugo, Diana, alique apud eundem Leandrum *dist. quest. 25.* & Gobat *de Eucharist. cas. 71.* cum Barbofa, & Dicastillo, asserentes, Sacerdotem in mortali existentem non peccare mortaliter, Eucharistiam aliis propinantem; & Leander quidem dicit, solum peccare venialiter. Delgadillo autem *cap. 4. de Eucharist. dub. 13.* dicit, se nullum peccatum agnoscere, ne veniale quidem, ut etiam ego non agnosco.

23. Ratio hujus sententiæ est, quia tunc Minister Sacramentorum (ut alibi dicitur *est in tract. de Sacramentis*) peccat, quando in mortali existens conficit Sacramentum, aut sua actione causat sanctitatem in Sacramenta recipientibus, ut quando consecrat, aut quando baptizat, vel absolvit; at nunc Sacerdos solum distribuit Sacramentum jam factum, non verò facit; & nec ipse sua actione gratiam confert, seu causat; contertur enim gratia in communicante ab ipsa actione, qua Eucharistia à Fidei manducatur.

Dices: contrariam sententiam videtur docere Nicolaus Papa *cap. fin. 9. 8.*

24. Respondeo. Solum illam docere, ut probabilem, sicuti putat Gobat *loco cit. §. 24.* Quòd ergo non peccet mortaliter, est probabile, cum ex alia parte non addi ulla lex in contrarium, nam ulla obligatio asserenda est sine lege, vel legitima consuetudo, quæ

legi æquiparatur, ut habetur *cap. Legatur 24. quest. 2. & l. 99. ff. de Verborum signif.* Et S. Thom. *quodlib. 9. quest. 7. artic. 15.* sic rectè pronuntiat; *periculosè determinatur aliquid esse peccatum mortale, nisi expressa veritas habeatur;* quem textum, cum excerpti Gobat *loco cit.* addit: *hæc ego aliquid quando pronuntiaui illum immunem saltem à gravi culpa, qui digito solvit sacram Hæstiam palato aglutinatam; quamvis illam tetigerit.* Hæc Gobat: qui in hoc exemplo sacra hostiæ palato adhaerenti (ut id hac occasione non omitam) ex contextu videtur loqui de Sacerdote; nam puto hodie non esse id laico concedendum; sed is in casu simili omnino utatur ablutione, modo, quo diximus *sup. cap. 11. n. 15.*

25. Quòd item Sacerdos non peccet venialiter, porrigendo Sacram Hostiam, dum ipse est in mortali (semper tum hæc, tam in præcedentibus, semoto contemptu) ex prædicta proxima doctrina colligimus, quia ex nulla lege, vel legitima consuetudine prohibitum est Sacerdoti, non existenti in gratia, distribuere, vel tangere Eucharistiam. Immo etiam laicum ipsam osculari, licitum per se esse, docet idem Suar. *disp. 7. sect. 4. de Eucharistia.*

26. Neque recurras ad irreverentiam, quia hæc nimis probarent; probaret enim etiam tangere in mortali, esse peccatum veniale: quate quoties Sacerdos tangeret sacram hostiam in Milla, toties peccaret, quod tamen dicere, nimis est durum; ad Eucharistiam distribuere, vix, vel ne vix quidem, differt ab ejusmodi contactu; quod si



adest tunc aliqua irreverentia, ea est admodum levis; & (ut habet Delgadillo cit.) inducit quidem aliquam indecentiam, sed non culpabilem.

27. Dixit autem modò Suarez, (per se licitum esse sacram hostiam osculari) nam ceterum de Lugo libr. 1. resp. mor. dub. 11. cum dixisset, non esse afferendam Eucharistiam ad infirmum, ut eam adoret, quando communicare non valet, addit in hunc modum: multò minùs permittendum videtur, quòd infirmus osculetur Sacram Eucharistiam, quia id est contra usum totius Ecclesie latine, in qua numquam laici aliter eam contingunt, nisi lingua, & ore, dum eam sumunt: immò nec Sacerdos, nec Diaconus, nisi vestibus saceris, vel saltem stola ornati: quòd totum ad cultum, & reverentiam ejusdem Sacramenti tuendam videtur omninò retinendum, hoc præsertim tempore, quo recentiores hæretici cultum hujus Ven. Sacramenti de medio tollere nituntur.

*An Sacerdos digitis laesus sit reputandus indignus pro communicandis Fidelibus?*

28. **I**nquires quintò: An Sacerdos, qui ob aliquod superveniens impedimentum, e. g. vulnus, chyragram, vel quid simile, nequit ministrare Eucharistiam pollice, & indice (quos vocare consuevimus, digitos Canonicos) licitè distribuet alijs digitis Eucharistiam?

29. Respondeo: Licitè, ut contra Bonacinam, alioque sustinent Leander dispnt. 4. quest. 19. quem sequitur

Delgadillo de Euchar. cap. 4. dub. 12. Ratio est, quia tota Sacerdotis manus est consecrata.

30. Nec obstat primò consuetudo, quia non omnis consuetudo est obligans, præsertim hæc, quæ est fundata in eo, quòd ordinariè, & ex decencia fieri solet distributio Eucharistie cum ijs digitis, qui sunt magis apti ad ministerium hoc expediendum.

31. Nec obstat secundò reverentia Eucharistie debita, quia, quòd te, quænam irreverentia est, uti cum decencia dexteritate digitis alijs, jam, n. dixi, consecratis, ijque illam distribuere?

32. Nec obstat tertio irregularitas, qua laborat ex sacris textibus Canonum is, qui Canonicis illis digitis caret, vel eosdem valde debiles habet, ut is contrectare nequeat sacram hostiam; non obstat, inquam, quia non nos loquimur de ejusmodi impedimento superveniente Sacerdoti, item de non celebrante, sed de purè distribvente Eucharistiam, supponendo semper, non adesse periculum, sacram particulam elabendi.

*An Sacerdos excommunicatus licitè alijs ministret Eucharistiam?*

33. **I**nquires sextò: quid de Sacerdote indigno ex eo, quòd sit excommunicatus?

Respondeo, & quidem non possum hanc quæstionem solvere clarè, nisi explicando universaliter, quandonam liceat, vel non liceat Sacerdoti excommunicati



communicato, se immiscere in administratione Sacramentorum.

34. Porro recolendum est, primum excommunicationis effectum esse, impedire excommunicatum, ne administret Sacramenta, sed certè diverso modo, quando excommunicatus est vitandus, & quando non vitandus; nam propterea semper ante oculos veranda est celebris illa divisio excommunicationis in vitandam, seu non toleratam, & in non vitandam, seu toleratam. Excommunicatio vitanda est, qua afficitur quis ex publica percussione Clerici, & qua afficitur is, qui nominatim pro excommunicato est publice denunciatus ab Ecclesia. Non vitanda est quæcunque alia excommunicatio præter duas dictas. His instrumentum redactis, quæ latè tractantur in materia de excommunicatione, prius de Sacerdote vitando, mox de non vitando, quantum pertinet ad nostrum institutum, disseramus.

*Excommunicatus vitandus in administratione Eucharistie, aliorumque Sacramentorum.*

35. **E**Xcommunicatus vitandus mortaliter peccat, si vel Eucharistiam aliis distribuatur, vel alia administret Sacramenta: excipe matrimonium, de quo n. 52. dicam: ) ipsa tamen sic ministrata, si in cæteris substantialibus nihil deficiant, valida erunt, excepto Sacramento Pœnitentiæ, quod erit regulariter invalidum. Notentur singula verba.

36. Dicitur est primò (*mortaliter peccat*) est enim Ecclesie prohibitio in re gravissima; excusabit tamen aliquando necessitas, ut si alius e. gr. non adsit, qui morti proximum possit baptizare.

37. Quòd si baptizatus aliquis morti proximus absolutionem Sacramentalem ab alio legitime acceperit, licet aliqui cum Avila 2. p. cap. 6. disp. 3. dub. 3. aliisque negent, posse illi etiam, absente alio Sacerdote, porrigi pro Viatico Eucharistiam à Sacerdote excommunicato, quia tunc Eucharistia non est ad salutem necessaria; nihilominus alij cum Soto, & Suarez cit. ab eodem Avila ibidem æquè probabiliter, unde & omnino in praxi approbandi, concedunt; nam quamvis hoc Sacramentum in se susceptum non sit necessarium necessitate medij, & tunc, absente Sacerdote libero à censura, non sit necessarium necessitate præcepti; quia potest dici, præceptum de Viatico non obligare, nisi quando debito modo illud dari possit; tamen, quia sacratissimæ Eucharistiæ susceptio maxime est utilis contra tentationes illius articuli, & fortasse ex probabili opinione producat per accidens in infirmo primam gratiam; quia potuit propter aliquem occultum defectum in absolutione illam non acquisivisse, ideo in eo articulo, & in ea carentia alterius Sacerdotis semper judicandum erit, Ecclesiam excommunicato etiam vitando, Eucharistiæ porrectionem velle concedere.

38. Atque hæc ratio probat etiam absente alio Sacerdote, posse infirmo

Mm 3 con:

in b... ..

EVRIN  
in  
præcepto  
de  
E III  
o: b:



conferri ab excommunicato eodem Extremam Unctionem, id quod limitant aliqui, si Eucharistiam ejusmodi infirmus non receperit; nam si recepit, non apparet, ajunt, ratio, cur ab excommunicato possit Extrema Unctio ipsi conferri; mihi verò satis aperta ratio apparet, hanc limitationem rejiciendi; quia non est ita certum, produci per accidens primam gratiam ab Eucharistia, sicuti per unctionem Extremam, ut in *Tractatu de Sacramentis* dictum est.

39. Quando autem ejusmodi infirmus ad mortem recipere Sacramentalem absolutionem non potuit, tunc cerre, vel Eucharistiam, vel Extremam Unctionem esse ipsi conferendam propter dictam rationem, omnes concedunt.

40. Dictum est secundò, (*ipsa Sacramenta sunt valida*) nam validitas Sacramenti dependet ab institutione Christi Domini, quam tollere non potest Ecclesia; sed Sacramenta, positis debitis requisitis, hoc est, materiâ, formâ, & intentione Ministri, quamvis porrigantur ab excommunicato, etiam vitando, sunt secundum Christi institutionem; ergo, &c. Quare si Episcopus excommunicatus vitandus ordinet aliquem, vel Sacerdos excommunicatus, item vitandus, celebret Sacram, veros ille ordines confert; & verum hic sacrificium, veramque consecrationem dabit, si que cum valore ex opere operato, quia hæc à divina Christi Domini institutione solùm dependent.

41. Dictum est etiam (*excepto Sacramento Pœnitentiæ*;) ad validitatem enim hujus Sacramenti, ut diximus requiritur, ut Minister, seu Sacerdos polleat jurisdictione spiritali in pœnitentem, atque hanc, ut paulò post dicemus, totam tollit, vel suspendit Ecclesia ab excommunicato vitando; & quia etiam ad absolutionem venialium, ut item mortalium ritè aliàs absoluturum, requiritur hæc jurisdictione, idè etiam invalida erit collata ab excommunicato vitando; sed id intelligitur sententia Castropal. de Pœnit. p. 16. num. 33 qui tenet, etiam jurisdictionem ad venialia tradi ab Ecclesia; nam secus, diceret Vasquez, qui sustinet, hanc jurisdictionem ad venialia absolventia, & mortalia ritè aliàs absoluta, dari à Christo Domino in ipsa ordinatione Sacerdotij.

42. Dictum est quartò (*regulariter*) nam sunt duo casus, in quibus excommunicatus vitandus validè ministrabit Sacramentum Pœnitentiæ, ut colligitur ex Trident. *sess. 14. capit. 6.* Prior est, quando is absolvit constitutum in articulo mortis, saltè positò, quòd non ad sit alius Confessarius. Ratio est, quia (quidquid aliqui apud Azorium *lib. 8. cap. 11. quest. 12.* contradicant) in eo casu tam necessarib Mater Ecclesia censetur concedere omnem jurisdictionem cuicumque Sacerdoti, etiam excommunicato vitando. Qua ratione tamen tum in hoc, tum in sequenti casu debeat prædictus excommunicatus esse in statu gratiæ, ne peccet; vide supra n. 6.



Secundus est, quando adest titulus coloratus, & error communis juxta leg. Barbar. ff. de Officio Prætoris, ut si Sacerdos alibi, e. g. Neapoli vitandus, quia hic Panormi est incognita ejus excommunicatio, obtineret ab Archiepiscopo Panormitano licentiam audiendi confessiones, validè hic abolveret, si communiter ignoretur ejus excommunicatio, tunc enim præsumitur, Ecclesiam, ad evitandas perturbaciones in populi Fidelibus, necessariam jurisdictionem concedere; atque hic est casus certus, nam alios pertinentes ad hoc idem argumentum de errore populi sine titulo colorato explicatur pluribus in tract. de Sacram. Pœnit.

43. Quartus: Parochus vitandus validè assistit matrimonio contrahendo, quia hic non est actus jurisdictionis, ut certum est; at licitè ne assistit? Respondeo; illicitè mortaliter putat Pontius lib. 5. de matrim. cap. 17. num. 11. siquidem sic communicat cum Fidelibus in rebus sacris sine necessitate? nam licet matrimonium volentibus, sit necessarium habere Parochum assistentem; tamen huic necessitati facilè potest Parochus vitandus succurrere, delegando suum hoc assistendi munus alteri Sacerdoti, quam delegationem ab ipso Parocho excommunicato licitè fieri posse, docet loc. cit. idem Pontius, quia ipsa non est actus jurisdictionis.

44. Sanchez autem lib. 3. de matrimonio disp. 3. num. 21. putat, illicitè tantum venialiter assistere; quia cum hujusmodi communicatio, quamvis in sacris, sit ex officio proprio Parochi exhibenda, non apparet, unde tam gra-

viter peccet, si illud alteri nolit committere; velique per se suum munus exercere; est enim aliqua necessitas Parochialis suo officio in nihilo deesse. Atque hæc sententia multò magis veritatem præ se ferret, si teneas cum Coninch disp. 27. num. 25. & Laym. lib. 1. tract. 10. part. 2. num. 4. Parochum vitandum non posse validè communicare alteri hoc suum assistendi officium; tunc enim esset necessitas admodum clara, quia sine ipsius assistentia essent invalida matrimonia. Utraque ergo sententia probabilis est.

45. Ex dictis denique pro re nostra jam colligis, te peccare mortaliter, si à Sacerdote excommunicato vitando Sacramenta Evcharistie recipias, sicut ipsemet, administrando illa tibi, peccat, exceptis illis casibus, quos jam excepimus.

*Excommunicatus non vitandus in administratione Evcharistie, aliorumque Sacramentorum.*

46. **E**Xcommunicatus non vitandus validè administrat omnia Sacramenta, etiam Pœnitentiæ; sed peccabit mortaliter, si administrationi, vel porrectioni Evcharistie se ipse ingeret, non vero si à Fidelibus requisitus, iidem distribuat, quantum est ex vi excommunicationis, tam Sacramenta Pœnitentiæ, quam Evcharistie, &c.

47. Dicitur est primò ( *validè omnia Sacramenta* ) nam si validè administrat vitandus, quantò magis non vitandus? ut paulò ante diximus.

48. Di-

in bi...

EVREIM  
in  
de  
E III  
osb:



48. Dicitur est secundò (etiam *Pœnitentiæ*) nam hoc fuit inter cætera beneficium concessum à Concilio Constantiensi, ut Fideles non tenerentur vitare etiam in administratione Sacramentorum excommunicatos non vitandos, ergo illis exercitium jurisdictionis concessit; si enim non concessisset, cogeret Fideles in Sacramentis, pro quibus necessaria est jurisdictione, eos vitare: quare cum eam non abstulerit ab excommunicatis non vitandis, non est unde ex hoc capite Sacramentum Pœnitentiæ deficiat.

49. Dicitur est tertio: (*peccabis mortaliter, si se ipse ingeret*); Concilium enim Constantiense nullum favorem voluit ipsi excommunicato in hoc concedere, ut latè probatur in tract. de excommunicatione.

50. Dicitur est quartò: (*non verò, si à Fidelibus requisitus*) nam, ut latè ibidem dicitur, & fusè habet Sanchez lib. 7. de matrimon. disp. 9. num. 8. si peccaret excommunicatus, quando est requisitus, peccarent etiam requirerentes, propter cooperationem cum ipso; ut ergo constet favor Fidelium, necesse est affirmare Concilium indirectè favisse etiam excommunicatis, ne peccent in eo casu, in quo requiruntur.

51. Dicitur est quinto (*quantum est ex vi excommunicationis*) nam si ipse excommunicatus sit in statu peccati mortalis, sive quia non procurat excommunicationis absolutionem, sive quia adhuc laborat peccato contumaciæ, ob quod sit excommunicatus, sive ob aliud, etiam requisitus ab alio,

peccabit mortaliter; administrando, seu faciendo Sacramenta, non quidem ratione puræ ipsius excommunicationis; sed ratione peccati mortalis, sub quo indignè administrat; debuerat enim se ponere in gratia, & deinde administrare. Excipe porrectionem Eucharistiæ; ut latè supra diximus ex nostra sententia.

25. Verùm ecce insurgit timoræ conscientiæ Vir, & sic inquit: Si ego petam ab hoc excommunicato sic male disposito, ut mihi Sacramentum, e. g. absolutionem sacramentalem administrare, cooperabor cum ejus peccato, quod quamvis non committat; ut dictum est, contra excommunicationem, committet tamen contra reverentiam debitam Sacramentis; qua illicitè conficiuntur ab eo, qui caret statu gratiæ; qua ratione ergo cum hoc excommunicato, male disposito, me geram, ut Sacramentum ab ipso petens, non peccem?

53. Respondeo, & quidem certum est, te non peccare, si bona fide, nihil sciens, ad ejusmodi excommunicatum accedas; vel si probabiliter putes, ipsum, quia e. gr. novisti, se id procurasse absolutionem excommunicationis, esse nunc in statu gratiæ.

54. At verò si noscas, cum esse in statu peccati mortalis; distinguendum est. Vel enim tu alium non habes Confessarium e. g. & indiges opera excommunicati ad recipiendum Sacramentum tibi necessarium, vel habes; si prius, liber es à peccato, seu à peccaminosa cooperatione cum alterius peccato quia tua necessitas te excusat. At si posterius, controversum est, an pec-



ces, primò ex sola vi excommunicatio-  
nis, quia scilicet ab excommunicato pe-  
tis Sacramentum, cum possis à non ex-  
communicato. Secundò ex vi peccati  
mortalis, quo est maculatus ejusmodi  
Confessorius, dum ministrare intendit  
Sacramentum, existens in statu peccati  
mortalis, tuque illi cooperaris.

55. Et quidem te peccare mortali-  
ter, etiam ex solâ vi excommunicatio-  
nis, quamvis non vitandæ, putant ali-  
qui cum Suarez *disp. 11. sect. 4. num. 11.*  
& Laym. *lib. 1. tract. 5. part. 2. cap. 4.*  
quæ indecens graviter est, ajunt, postu-  
lare Sacramentum ab eo, qui præcisus  
est ab Ecclesiâ, quando potes ab alio  
non præciso. Te autem ex sola vi di-  
ctæ excommunicationis non peccare,  
putant alij cum Sanchez *lib. 2. de mar.  
disp. 9. num. 1.* & Bonacina *disp. 2. de  
sens. quest. 2. part. 2. §. 3. num. 4.* quia  
Concilium Constan. permittit hanc re-  
quisitionem ab excommunicato, non  
vitando, & tunc quando scilicet is est  
requisitus, non habet pro præciso ejus-  
modi excommunicatum. Cùm igitur  
Concilium non distinguat, quando ad-  
est alius non excommunicatus, vel quan-  
do abest, nec nos distinguere debemus.  
Ultraque opinio probabilis est; sed  
hæc posterior mihi probabilior appa-  
ret propter dictam Concilij concessio-  
nem.

56. At ex vi peccati mortalís, in  
quo excommunicatus Sacramentum mi-  
nistrat, certum est, te, absolute loquendo,  
peccare contra charitatem, si potens il-  
lud petere ab alio bene disposito, petis  
ab hoc, quem scis ministraturum in  
peccato; das enim illud scandalum,

Tambur. de Præcept. Eccles.

dum sine causa occasionem offers ejus-  
novo peccato. Dico (absolute lo-  
quendo) nam sic ex eo, quòd ipse in a-  
liquo casu esset paratus ad ministran-  
dum in peccato, excusari tu potes à pec-  
cato cooperationis, ut alibi universali-  
ter disputatum est.

57. Hic denique duo non sunt o-  
mittenda. Quæres enim primò, an  
Sacerdos excommunicatus vitandus, vel  
etiam non vitandus, quando hic non est  
requisitus, præter peccatum mort. in-  
currat aliquam penam, si alteri Evcha-  
ristiam distribuatur?

58. Respondeo, cum G ballinò  
*cap. 5. de irreg. quest. 7. art. 17.* Sacer-  
dotem excommunicatum vitandum, ut  
item non vitandum, quando hic non  
requisitur à Fidelibus, dispensantem  
Evcharistiam ab alio præconsecratam,  
fieri irregularem. Ratio est, quia illa  
dispensatio convenit Sacerdoti ex officio,  
& ratione ordinis; si quidem,  
dum ex vi ordinis accipit potestatem ad  
Christi Corpus verum conficiendum,  
accipit quoque ad illud distribuendum.  
Cùm ergo Sacerdos censura innodatus  
evadat irregularis, si exerceat proprios  
actus ordinis, ut latè dixi in *tractat. de  
excommunicatione, & irregularitate,*  
evadet etiam in hoc casu irregularis.

59. Quæres secundò, an excom-  
municatus non solum quatenus recipit  
Sacramentum matrimonij, peccet, ut  
certum est, peccare; verum etiam pec-  
cet, quatenus illud ministrat, seu con-  
fert? Scimus enim, Ministros Sacramen-  
ti matrimonij, non esse Parochos, vel  
alios, ut supra inuebamus, sed ipsosmet,  
qui matrimonium inter se contrahunt.

Nn.

60. Res.

in b...  
BVRIN  
in  
de  
E III  
o. b.



60. Respondeo: Aliqui asserunt, etiam ut Ministros peccare, sed probabilius affirmat Sanchez *lib. 7. de matr. disp. 9. num. 4.* non peccare. Ratio potissima est, quia ad hoc, ut peccet excommunicatus ratione excommunicationis, ministrando Sacramentum, debet id facere ex officio, ad quod sit consecratus, ut dicitur *in tract. de Sacramento in gen.* id quod non est invenire in conjugibus; qui licet sint baptizati, & aliquo tandem modo per baptismum DEO consecrati, non sunt tamen consecrati peculiariter in ordine ad matrimonium conferendum.

## CAPUT XVII.

### Varia de Communione.

Quæ de communionem locum non sunt sortita in præcedentibus, vel à loco exciderunt; hic, nequid negligatur, erunt inferenda.

*De communicante data opera cum pluribus particulis.*

1. **I**nquires primò, An quando comunicas, sit majus bonum spirituale plures consecratas particulas, vel majorem hostiam, aut largiorem vini consecrati quantitatem ob devotionem sumere? Secundò, an id communicanti liceat?

2. Respondeo: Ad primum dico, id non quidem per se, sed per accidens esse majus bonum spirituale. Explico: est sententia probabilis apud de Lugo

*de Eucharist. disp. 12. à num. 46.* & signatè notat Valquez *disp. 103. de Euchar. num. 33. & 34.* toto tempore, quo durat sacra species in stomacho, polleat Eucharistiam causare gratiæ augmentum, si tunc quis per actus devotionis alios, & alios ad illam se se disponat. Quoniam ergo sumens plures, majoresque particulas diutius Christum Dominum, quasi hospitem apud se retinet, diuturnius tempus habebit, in quo actus illos exercere possit, & consequenter majores gratiæ effectus consequetur; quod jam non est per se, id est, præcisè ratione Communionis, seu manducationis, sed ratione moræ, quam Christus facit apud nos, suppositis illis superadditis devotionis actibus.

3. Ad secundum dico: Quamvis hanc sententiam sic explicatam, ut probabilem concederemus, tamen hoc ex industria facere, etiam ob devotionis affectum, nequaquam licere: nam, ut ijdem Valquez, & de Lugo prudenter insinuant, id vetus usus Ecclesiæ vetat in re gravissima. Vetat item periculum, ne sensim introducatur superstitio, vel opinio de veritate hujus Sacramenti, ut eo major existimaretur ejus virtus, quo plures essent species panis, vel vini. Vetat denique sacra Inquisitione, quæ, propter ejusmodi periculum, contra id facientes diligenter inquit; nam propterea in Edicto Generali, solito promulgari à Sacra Inquisitione Hispanica, inter ceteros errores Sectæ Hæreticorum illuminatorum ponitur hic error, de quo loquimur, & jubentur Fideles denunciare eos, qui in illum



inciderent his verbis. *Denuncient eos, qui sciverint, sumere plures particulas simul, quando sacram Eucharistiam suscipiunt, dicendo, se recipere plus grante, &c.*

4. Dixi ( *ex industria* ) nam ad necessitatem consumendi particulas consecratas, cum renovatur Sacramentum, vel propter similem necessitatem id facere, licitum esse, immò pium, non est dubitandum.

5. Nota denique: Si quis ob dictam devotionis affectum libentius geosorem hostiam, vel potum aliquando largiorem eligeret, sed intra terminos eligi consuetos, illum sanè ab aliquibus excusari; at si excederet, nulla ratione excusandum, quia dictum Ecclesie usum non observaret, dictoque periculo ansam præberet; unde valde etiam reprehendendus esset ille Capellanus, qui id alijs concederet, multò magis si mulierculis, & ignorantibus, ob quorum incertiam proclivius esset errandi periculum.

*Ad Festorum Indulgentias lucrandas, quando communicandum? & ubi in communione generali Soc. JESU.*

6. Inquires secundò: Quando Pontifex concedit Indulgentiam pro aliquo die festivo sub hac, vel simili forma: *Qui confessi, & communicati talem Ecclesiam visitant, lucrentur indulgentiam plenariam*; inquires, inquam, quando Communicandum? num in hac concessionis forma non esse necessarium, Communionem fieri in eadem Ecclesia visitanda, manifestum

est, quia id non imponitur. Dico ( in hac ) nam in Communione generali, quæ singulis mensibus celebratur à Patribus Societatis JESU, Communionem in ijs Ecclesijs, in quibus, seu pro quibus publicatur indulgentia, fieri oportet, quia, ut patet ex Brevis Pontificio, sic edicit Pontifex.

7. Sed jam respondeo verbis Portellæ *verb. Indulgentiarum. 5.* Is (ait) qui visitat talem Ecclesiam, si fuit Confessus, & Communicatus quatuor ante diebus, & non habet mortalem culpam, lucratur Indulgentiam. Ita Comitulus *l. I. resp. mor. quest. 39.* Hæc Portella.

8. Ad Comitolum autem, apud quem hujus decisionis plures habes rationes, illa est præcipua, quia finis concedentis Indulgentias est, ut Fideles in statu gratiæ, & benè præparati visitent Ecclesiam illam, & ibidem orent; at Confessus, & Communicatus ante paucos dies, supposito quòd sit in gratia, satis videtur secundum humanam Conditionem præparatus, ergo &c. Ita Comitulus, notans, id etiam locum habere, tamen quando Communicavit, nullam considerationem fecerit de Indulgentia illa consequenda. Addit etiam de Lugo *disp. 27. de Pœnit. num. 93.* quando sic dicitur ( *confessi, & communicati* ) unam Communionem factam posse intervire pro acquirendis pluribus Indulgentijs eodem die. ( Adde ego in ijs paucis, seu quatuor diebus modò dictis ) visitando nimirum illam, seu plures Ecclesias, in quibus propositæ Indulgentiæ sint.



An necessaria sit hac forma concessionis confessio, vide mox num. 16.

*An necessaria sit Communio pro Indulgentiis Portiunculae, & Bullae Cruciatæ.*

9. **I**nquires quartò: quid de Indulgentiis Portiunculae, & Bullae Cruciatæ?

Respondeo, & quidem priùs est sciendum, non semper ad Indulgentias acquirendas requiri à Pontifice Communionem. Tunc ergo satis erit prestare opera ab ipso inuncta, & hominem esse in statu gratiæ, qui enim est Dei inimicus, nullam sibi Indulgentiam acquirere posse, scimus omnes.

10. Dico igitur primò: non requiri Communionem ad Indulgentiam Portiunculae, sed satis esse visitationem alicujus Ecclesiæ ex Ordine quocunque Minorum, ut docet Rodriquez in *compend. verb. Indulg. num. 50.* Ratio est, quia Christus Dominus, qui dicitur, eam Indulgentiam concessisse S. Francisco pro Ecclesia S. Mariæ de Angelis, dicta Portiunculae, Communionem non inunxit, nec inunxere Benedictus Pontifex, alique, qui eam Indulgentiam confirmarunt, & extenderunt ad omnes Ecclesias dictorum Fratrum Minorum, & ex sententia prædicti Rodriquez (dubitante Portella) etiam Sororum ejusdem Ordinis Sancti Francisci. De hac Indulgentia Portiunculae vide citatum Portellam, *verb. Indulg. in additione num. 1.*

11. Dico secundò: ad acquirendas Indulgentias semel in vita, & semel in morte, & Indulgentias Stationum

per Bullam Cruciatæ, non requiri communionem, quia in tenore dictæ Bullae hæc non imponitur, sed solum pro dicta Indulgentia plenaria semel in vita, & semel in morte imponitur Confessio, quæ Indulgentia debeat ab ipso Confessore tibi habenti Bullam applicari; est tamen una exceptio pro Indulgentia in morte, hoc est, ut si in fine vitæ confiteri non valeas, satis sit, te esse contritum, seu esse in statu gratiæ, modò priùs, statuto tempore, confessus fueris; neque hujus concessionis fiducia fueris in confitendo negligentior. Pro Indulgentiis autem Stationum sufficit, te esse in statu gratiæ; quæ omnia distinctiùs dicuntur, in *11. de Bulla Cruciatæ.*

12. Nota obiter, ubicunque in concessione cujuscunque Indulgentiæ dicitur (*confessi, vel contriti; seu confessi, & contriti*) sufficere solam contritionem, ut tenet cum aliis Suarez *disp. 62. sect. 3. num. 10.* apud De Lugo *loco cit. num. 94.* id probabile existimantem; quamvis refragentur Cajetanus & alij apud eundem, qui in hac forma concessionis necessariam quoque requirunt confessionem.

*De Communionem tempore Jubilæi Universalis.*

13. **I**nquires quintò: quando nãm est exhibenda Communio tempore Jubilæi Universalis?

Respondeo. Certum esse in tenore Jubilæi, quod solet Pontifex concedere per universam Ecclesiam facienti quædam pia opera ab ipso inuncta in prima, vel secunda hebdomada, Communionem




tionem exhiberi posse in quocunque die hebdomadae, quam assumis ad Indulgentiam Plenariam acquirendam, quia id manifestè solet apponere Pontifex.

14. At difficultas non exigua olim erat, an qui in prima hebdomada e. g. voluisset lucrari Indulgentiam, potuisset communicare in Dominica superveniente ad dictam hebdomadam, quae Dominica jam non pertinet ad hebdomadam praecedentem, sed ad sequentem; sicuti etiam, an qui voluisset Indulgentiam lucrari in dicta hebdomada secunda, communicare potuisset in simili Dominica superveniente ad hanc secundam hebdomadam, quando jam supponitur expirasse Jubilaeum, quod erat additum ad praecedentem hebdomadam; olim, inquam, non exigua erat difficultas; hodie verò in ejusmodi universalibus Jubilaeis jam solet Pontifex declarare, Communionem posse fieri in Dominica proxima sequenti, quamvis sit extra hebdomadam praecedentem; quare hac de re nihil praeterea dicendum occurrit. Solum advertè, in Jubilaeis in posterum emanandis, debere semper praeculis haberi eorum tenorem, & juxta illum operari.

15. Illud hac occasione non est praetermittendum; quandoquidem in hac forma Jubilaei Universalis solet dici, ut qui illud lucrari velit, debeat, praemissa Confessione, communicare, an Confessio sit necessaria in eo, qui cognoscit, se non habere conscientiam peccati mortalis?

16. Respondet Sanchez *lib. 8. de Matrimon. disputat. 15.* aliique apud Dianam *part. 1. tract. de Bull. Cruc. resolut. 107.* in hac forma Jubilaei, qua dicitur (*praemissa Confessione*) Confessionem esse unum ex operibus injunctis, atque adeò illam esse necessariam ad Jubilaeum acquirendum. Suarez verò apud De Lugo *de Pœnit. disp. 27. num. 100.* cum aliis multis, necessariam non esse, affirmant, quia usus Ecclesiae est, ut quando ipsa praecipit Confessionem peccatorum, intelligatur de Confessione mortalium, ut accidit in praeccepto de Confessione annua: sicut enim nomine peccati simpliciter intelligitur de mortali, ita per Confessionem peccatorum intelligitur Confessio mortalium. Adde, Confessionem solum videri praecipì, ut homo ponatur in gratia: at qui peccato mortali caret, in gratia est; ergo, &c. Ultraque opinio est probabilis; licet illa Sanchez sanè sit tutior.

17. Hinc fit, ut multò minus requiratur Confessio ad lucrandam Indulgentiam Communionis Generalis, quam nuper innuimus, nam in tenore Concessionis hujus Indulgentiae nulla fit mentio Confessionis, sed solum Communionis: quare tunc solum erit Confessio necessaria, quando quis est in mortali peccato, ut per illam ponatur in statu gratiae, quae simpliciter est (ut nimis saepe diximus) ad acquirendas Indulgentias necessaria.



in b... ..

BVRIN  
in  
de  
E III  
o. b.



*An Communio utiliter applicetur sive pro vivis, sive pro defunctis.*

18. **I**nquires sextò, An Communio à Fidei suscepta pro animabus Purgatorij, vel etiam pro vivis Fidelibus, profit illis in aliquo?

Respondeo: & quidem præmittendum primò, quid sit causare gratiam ex opere operato, & quid ex opere operantis. Causare gratiam ex opere operato, est, illam causare ex vi institutionis Christi, quæ ita efficax est, ut infallibiliter idem Christus Dominus causet in homine benè disposito dictam gratiam sacramentalem, & suos effectus. Causare autem gratiam ex opere operantis, est, causare illam ex vi dispositionis ipsius hominis, qui est operans, seu suscipiens Sacramenta. Quare, quando qui e.g. sacramentaliter absolvitur à peccatis, cum sit benè dispositus, accipit infallibiliter gratiam ex vi institutionis Christi: Ecce opus operatum. Accipit item aliquid gratiæ saltem de congruo propter dispositionem bonam, quam affert, quæ quandoquidem bona, laudabilis est, & suo præmio digna: Ecce opus operantis.

20. Præmittendum secundò, Omnis bona actio in homine existente in gratia tria emolumenta, seu fructus affert: meritum de condigno, satisfactionem, & impetrationem; quam impetrationem aliqui vocant meritum de congruo, id est, ex liberalitate congrua Dei. Sic Sacrificium Missæ, tibi e.g. pro quo celebratur, est meritori-

um de condigno alicujus gradus gratiæ, & consequenter gloriæ: est item satisfactorium pro peccatis, quas fortè obtuas jam remissas culpas tu debes; atq; hanc satisfactionem potes pro aliis Fidelibus, sive vivis, sive defunctis offerre Deo; nam prædictum meritum semper est tuum, nec transferri in alios potest. Denique idem Sacrificium à te celebratum, est impetratorium, quia potes per illud impetrare à Dei liberalitate, & misericordia aliquid, sive tibi, sive aliis, pro quibus impetrare intendis à Deo: quam impetrationem, quamvis ea sit ex liberalitate Dei, aliqui dicunt esse infallibilem, aliqui tamen fallibilem. Lege Bellarmin, de Indulgent. cap. 14. n. 4.

21. His ita rudi Minerva delibatis, respondeo ad quæsitum cum distinctione: si enim inquiris, an ipsa Communio, ut est receptio, seu manducatio præcisè Eucharistiæ, seu, ut est receptio Sacramenti, possit applicari pro animabus Purgatorij, ut est opus operatum, certum videtur, non posse illis animabus, nec vivis Fidelibus cum illorum utilitate applicari, nec solum quoad fructum meriti, quod, ut dictum est, transferri in alium nequit, sed nec quoad satisfactionem, & impetrationem. Ratio est, quia fructum Communionis, sicut & aliorum Sacramentorum promittit Christus Dominus illa recipienti: recipit autem solus illa, qui Sacramentum sumit; unde nemo potest baptizari pro alio, nullus confirmari pro alio, &c. Quare nec ullus communicare, seu recipere Eucharistiæ, ut Sacramentum, potest pro alio: sicuti







*De infirmi Communionem in alio  
cubiculo ab Oratorio.*

26. **I**nquires septimò: Si quis infirmus decumbat in cubiculo aliquantulum distante à loco, ubi est Oratorium privilegiatum, & ubi sacrificium Missæ celebratur; si infirmus, inquam, velit ex devotione communicare (non jam per Viaticum; ad hoc enim scimus debere intercedere licentiam Parochi) poteritne Sacerdos, qui ibi celebrat, deferre ad infirmum ejusmodi sacram hostiam decenter lociatam, transeundo per unum, alterumve cubiculum, seu per aulam intermediam inter lectum infirmi, & Oratorium?

27. Respondeo, hac de dubitatione consulti superiores à me, negaverunt aliqui ex nostra Societate docti Theologi. Ratio fuit, quia intervenire tunc debuisset processio, seu deductio Sanctissimi ad locum alium, ad quod requiritur licentia Episcopi, vel ejus Vicarij; privilegium autem concessum à Pontifice similibus Oratoriis indulget quidem, ut aliàs diximus, in eodem Oratorio communicare posse privilegiatum, sed nihil addit, an id possit fieri in alio cubiculo distante, licet cubiculum sit in eadem domo.

28. Hæc olim dicta sunt; sed ego nunc, re diligenter perpensâ, ad id propendo, ut nisi in aliqua Diœcesi expressa prohibitio habeatur, facile concesserim; neque enim illa est processio publica, quæ pertinet ad Episcopum; immò nec est processio; hæc enim involvit quasdam solemnitates,

& ceremonias, quæ longè abunt à casu proposito. Præsumatur igitur Ordinarij consensus (posito, quòd is necessarius esset) & fiat id prudenter, hoc est, parcè, & per intervalla, ut sic infirmus sacram Communionem appetens, sua devotione non defraudetur; quemadmodum ægroti religiosi decumbentes, ex communi praxi non defraudantur.

*An Sacra Communio præservetur à mortalibus, & quomodo?*

29. **I**nquires octavò: cum Sacra Eucharistia pariat in suscipiente illam (tanquam proprium effectum) gratiæ augmentum, præservare à mortalibus, etiam committendis?

30. Respondeo. Sanè præservat, ut docet Trident. *sess. 13. cap. 2. sacramentum hoc Eucharistiæ (ait) quòd summum, tanquam Antidotum, quò liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur.* Et quidem meritò sic dicitur à Tridentino (quod idem est, ac dicere, à Spiritu Sancto:) quia Eucharistia instituta est à Christo Domino, tanquam cibus, & & porus spiritualis. Sicuti igitur vitam conservant temporalem, ita vitam spirituale[m] conservat Eucharistia; hoc enim est, præservare à peccatis mortalibus, quorum natura est, ut repellant gratiam, seu Dei amicitiam, quæ est vita spiritualis animæ.

31. In hoc, quod hæcenus diximus, omnes Theologi conveniunt; sed quomodo id fiat, non conveniunt omnes: cum præsertim experiamur in dies, eos, qui Communionem susceperunt,



perunt, immò & qui frequentarunt, ac frequentant faciliè in peccata mortalia prolabi.

32. Ajo, Evcharistiam ex opere operato præservare quidem à peccatis mortalibus efficaciter, & infallibiliter, sed ex parte ipsius DEI, eo prorsus modo, quo S. Paulus ad *Timoth.* dicit cap. 2. quòd *DEUS vult, omnes homines salvos fieri*: quam voluntatem multi DD. in tract. de voluntate DEI docent, esse efficacem, sed non absolutè, verùm conditionatè, id est, ex parte ipsius DEI, si tamen homo cooperetur. Quare dignè communicanti, dum DEUS confert gratiæ sanctificantis augmentum, simul dat eodem jus recipiendi, seu habendi ab eodem DEO auxilia, opportuno tempore, quibus resistere homo possit tentationibus, inducentibus ad peccatum mortale: quod jus in eo consistit, quòd DEUS ex vi suæ promissionis habeat quandam obligationem, talia conferendi auxilia, ad quæ obtinenda, est peculiari modo ex vi communionis peractæ Fidelis homo dispositus, quibus ipse Fidelis præservabitur à peccatis mortalibus, si aliàs non resistit, seu per ipsum non steterit. Neque gratis hoc docemus, quia id nos docet modò allatum Tridentinum in illis verbis (*per Evcharistiam nos à peccatis mortalibus præservamur.*)

*An Sacra Communio præservet à venialibus, & quomodo?*

33. Inquires nonò: an quod diximus de mortalibus, idem dicendum sit de venialibus?

*Tambur. de Præcept. Eccles.*

Respondeo. Sanè idem: quia idem colligitur ex dictis verbis Tridentini.

34. Hoc igitur majore discussione non indiget. Illud indiget certè, an ex opere operato, id est, ex vi ipsius Communionis, abstrahendo ab opere operantis, id est, abstrahendo ab actibus bonis aliis ipsius communicantis, Evcharistia à Fidelibus in statu gratiæ constitutis suscepta, deleat ipsis culpas veniales ante commissas?

35. Respondeo. Deleri venialia ex vi Communionis ex opere operato, meritò sustinet S. Thomas, Vasquez, Caspar Huttadus, aliique cum Leandro de *Sacr. Evchar. disp. 11. quest. 8.* nam sicuti Deus voluit gratiæ, quæ recipitur per Baptismum, adungere hoc privilegium, ut per ipsum remittantur ex opere operato peccata omnia, etiam mortalia; ita valdè probabile est, ut de venialium remissione idem dicendum sit per Evcharistiæ susceptionem; cum enim Evcharistia non remittat per se peccata mortalia, quia, ut in superioribus dictum est, ipsa est Sacramentum vivorum, saltem sentiendum est, quòd remittat culpas veniales. Id quod directè videtur dixisse Tridentinum in præcitatis verbis (*quo liberemur à culpis quotidianis.*)

36. Non igitur sequimur opinionem S. Bonaventuræ, aliorumque apud eundem Leandrum, dicentium, Evcharistiã solum delere venialia, quia excitat fervorem charitatis, quo homo disponit se per propriam operationem ad remissionem venialium; non, inquam, hos sequimur, quia sic non delegerentur culpæ veniales ab Evcharistia,

O o

ut

in bibliot.

EVCHARISTIA

in

præcepto

de

E. III

o. b.



ut loquitur Tridentinum, sed per actus aliquos, ad quos excitaretur homo per illam; quod certè esset dicere, Antidotum venialium esse potius actus nostros, quàm Evcharistiam.

37. Confirmatur ex Catechismo Romano sic dicente: *Remitti per Evcharistiam, & condonari leviora peccata, qua venialia dici solent, non est, quòd dubitari debeat; quemadmodum, quòd innati caloris vi quotidie detrahatur in corpore animantium, ac deperit, paulatim addi, & refici naturali alimento sentimus.*

38. Subinquires: omnèsne culpas veniales, an aliquas tantùm remittit Sacra Communio?

39. Respondeo. Omnes, etiam si illarum quis non recordetur, vel ab illis præscindat, modò tamen de iis non habeat complacentiam, sive actualem, sive virtualem. Ita S. Thomas, Valquez, Hurtadus, aliique apud eundem Leandrum. Quare per Evcharistiam solam dignam sumptionem sine alia dispositione omnes veniales culpe (si de iis non complaceas) delentur illius virtute. Illæ autem, de quibus habes complacentiam, ex ea Communionem idèd non remittuntur, quia nunquam remitti potest culpa, dum culpa committitur; committitur autem culpa, dum homo est in ejus complacentia, ut omnes Theologi advertunt *in tract. de Pœnit.*

*Quid de Pœna?*

40. **I**nquires decimò. An Sumptio Evcharistiae, sicut delet, modo dicto, culpas veniales; ita deleat, seu

remittat pœnam temporalem; quæ, remisso veniali quoad culpam, solvenda restat in hac vita, vel in Purgatorio?

41. Respondeo. Ut id intelligas, sciendum est, esse aliquos Theologos, qui putant, maculam, seu culpam venialium esse quid diversum à pœna ipsi maculæ debita; ita ut culpa venialis consistat in quadam modica (ut sic modo nostro loquamur) displicentia Dei, hoc est, venialis culpa sit talis, ut si in Deum cadere displicentia posset, aliqua modica in eum caderet ex dicta tua veniali culpa; unde deinde confurgit in te venialiter peccante deputatio, seu obligatio ad tantam, vel tantam pœnam subeundam.

42. Aliqui verò putant, non esse quid diversum, sed peccatum veniale consistere solùm in dicta deputatione, seu obligatione ad prædictam pœnam temporalem solvendam, quam obligationem vocant Theologi *Realium*. Utrosque Theologos loqui probabiliter, ait Scotus apud Delgadillo *de Evchar. cap. 11, à num. 35.*

43. His positis in posteriori hac sententia, deleri ex opere operato, & immediatè pœnam peccati venialis per Evcharistiam, non solùm, ut illa est sacrificium, sed ut Sacramentum, clarè sequitur; si enim culpa venialis consistit solùm in obligatione ad pœnam, ut ea sententia putat; Evcharistia autem, sicuti modò *num. 28.* dictum est, delet ipsam culpam, delebit ipsam pœnam, in qua sola consistit venialis culpa. In priore autem sententia major est difficultas; nam, cum culpa, & obli-



obligatio pœnæ sint diversæ, poterit Eucharistia delere culpam; remanente obligatione ad pœnam.

44. Nihilominus satis probabiliter etiam in ea priore sententia dicendum est cum Delgadillo loco cit. & cum De Lugo de Euchar. disp. 12. num. 98. per Eucharistiæ sumptionem remitti ex opere operato aliquam partem dictæ pœnæ. Ratio est, quia dum Trident. loco cit. docet absolute, nos per Eucharistiam liberari à culpis venialibus, satis inuere videtur, remitti etiam aliquam partem pœnæ earum; nam sicuti ex eo, quod vi Sacramenti pœnitentiæ remittitur peccatum mortale, colligunt communiter Theologi, non solum pœnam æternam peccato mortali debitam commutari in temporalem, verum etiam aliquid ipsius pœnæ temporalis remitti ex vi dicti Sacramenti Pœnitentiæ, atque adeo ex opere operato; ita ex eo, quod à Tridentino dicitur, per Eucharistiam remitti culpas veniales, dicendum erit, per illam etiam remitti aliquam saltem partem pœnæ temporalis, quæ culpæ veniali debetur. Et sanè meritò; nam valde congruum est, ut detur excellentissimo Sacramento ex opere operato id, quod Sacramento Pœnitentiæ conceditur.

Lege De Lugo loco cit. & Delgadillo loco item citato num. 37.



An Sacerdos dicens mulieri, dum ei porrigit Eucharistiam, ut ipsum expectet Domi sub vesperas, sit inquisitoribus denunciandus?

45. **N**OVUM, & hæcenus inauditum sacrilegij genus explicandum occurrit. Titius Sacerdos, dum Communionem porrigeret cuidam fœminæ, quam aliunde sciebat, alios turpiter admisisse domum suam, dixit submissa voce, ut eum sub vesperas domi expectaret. Expectavit, aperuit januam, delictumque subsequutum fuit. Porro post aliquot dies voluit Confessione Sacramentali suum peccatum mulier expiare; sed Confessor dubitare incæpit, an hoc sacrilegij delictum esset Inquisitoribus denunciandum. Inquires ergo, quid statuendum?

46. Respondeo, Ut planius id discernatur, supponendum est ex illa celebri, præsertim verò Gregorij XV. Constitut. per quam obligantur pœnitentes, sive mares, sive fœminæ sollicitatæ in Confessione, denunciare Confessarium Sacris Inquisitoribus, nasci duas dubitationes, similes proposito casui. Prima est, an si Confessarius dicat in Confessione pœnitenti: hodie domitux me expectes, sum enim tecum loquuturus de re non levis momenti; an hæc, inquam, sit censenda sollicitatio denuncianda. Cui dubitationi respondet Bordonus in lib. quem inscribit, Sacrum Tribunal cap. 23. num. 54. hæc verba de se non significare sollicitationem, sed eorum

O o 2 sententiam

in biblioteca

EVREIN  
in  
li. præcepto  
ARR  
de  
E. II  
o. b.



lensum colligendum esse ex tractatu, quem Confessarius habet in domo pœnitentis; si enim mulierem ibi honestè alloquatur, nulla est sollicitatio, nec denunciandi obligatio; si autem mulierem provocet ad inhonesta, erit sollicitatio denuncianda. Duas hujus doctrinæ rationes affert. Primam, quia in dicta Gregorij Bulla præcipitur, denunciari Confessarium, qui pœnitentem sive in actu Sacramentali Confessionis, sive ante ipsam, sive post immediatè sollicitat; nam quamvis in casu, de quo loquimur, provocet Confessarius in domo mulieris, & non videatur sollicitatio fieri immediatè post Confessionem, nihilominus, ait Bordonus, revera immediatè fit in Confessione, cum illa sollicitatio dependeat formaliter ex illo condicito, quod factum est in Confessione. Secunda ratio magis convincens est, quia in eadem Bulla Gregorij præcipitur, Confessarium illum denunciari, qui aliquem sollicitat occasione, vel prætextu Confessionis; at qui prædicta verba, de quibus est noster sermo, in Confessione pœnitenti dicit, & deinde domi turpia tractat; ea, ex occasione habita Confessione, tractat, ergo directè contra Bullæ præceptum operatur.

47. Secunda dubitatio est, an sit sollicitatio Sacris Inquisitoribus denuncianda in eo casu, quo Confessarius det chartam, seu litteras amatorias sigillo munitas pœnitenti, eidemque dicat, ut illas domi legat?

48. Respondet Castropal *tom. 1. tr. 4. disp. 19. p. 4.* hanc chartæ traditionem esse quidem causam sollicitatio-

nis, non tamen esse sollicitationem, quia quando charta traditur, tæmina non movetur ad malum; ergo non sollicitatur; sollicitatio enim temper imbibere debet provocationem ad malum.

49. Confirmatur primò: quia ipsa pura, & sola traditio chartæ, que fit in Confessione, non est completum delictum sollicitationis, ergo non erit denunciandus: & sicuti per solam venerationem non incurritur irregularitas, nisi sequatur mors, aut mutilatio, ita per meram, solamque chartæ traditionem non incurritur pœna, que est imposita Confessariis sollicitantibus.

50. Confirmatur secundò: quia, si dictam chartam tuæ pœnitenti contingeret, ut illam ferret ad aliam mulierem, tunc dicta tua pœnitens non erit obligata ad denunciandum, quia ignorat, quid in charta contineatur, ita in casu nostro,

51. Sed profectò in hoc nullo modo Castropalao consentire possum; sicuti Jo. Sanchez, Diana, Trimareus, Peyrinus, Fagundez, & Bordonus illos citans, meritò non approbant, quia nemo negabit, traditionem illius Scripturæ factam in confessione Sacramentali, vel immediatè post, vel in loco Confessionis, pendere ex parte Confessarij à Confessione, & legi à pœnitente occasione Confessionis factæ. At Gregorius XV. præcipit denunciare, ut modò diximus, Confessarios provocantes ad turpia occasione Confessionis; ergo, &c.

52. Ad rationem igitur Castropalae, illam traditionem non solum esse causam,



culam; sed veram sollicitationem in Confessione inchoatam, & domi perfructam.

53. Ad primam Confirmationem responde, sollicitationem illam incipere in confessione quidem, sed postea perfici, idque occasione Confessionis, in mulieris domo.

54. Ad secundam non esse mirum, tunc feminam ex alio capite non obligari, quia scilicet nec ipsa sollicitatur, nec ipsa scit, ut supponimus, quid in ea charta contineatur, nam pari modo, si mulier, cui ad ipsam provocandam data sit charta amatoria legenda domi, nihil sciens de contentis in ea charta, illam mulier comburat, certè non obligabitur denunciare. Verùm id est per accidens, quia nimirum nescit mulier, nec prudenter suspicatur, quid contineat scriptura, ut supponimus.

55. Post hæc scripta emanavit Decretum Alex. VII. in quo prohibentur aliquæ propositiones sub excommunicatione sententiæ contra eos, qui illas, ut probabiles docuerint, & sub peccato mortali reservato Pontifici, incurrendo ab illis, qui eas in praxim reduxerint, inter quas n. 6. hæc propositio damnatur: (*Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam, postea legendam, in qua ad Venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione, ac proinde non est denunciandus.*)

Respondeo nunc ad calum propositum; sanè ex vi verborum (*me expecta domi, &c.*) subsequuto ibi delicto,

foret denuncianda hæc sollicitatio; nam facta est occasione Sacramenti; tamen quia Bullæ Pontif. solùm denunciandam præcipiunt sollicitationem, quæ fit in Confessione, seu in administratione Sacramenti Pœnitentiæ, vel occasione illius, ut clarè patet legentibus illas Bullas, ubi nulla prorsus fit mentio alterius Sacramenti, nisi Pœnitentiæ; ideo Titij provocatio facta ad peccatum in administratione Eucharistiæ non est necessariò inquisitoribus denuncianda.

Dico, *necessariò*, nam si ea denunciatur, dicit probabiliter cum Pegna Castropalaus *loc. cit. punct. 6.* ob facultatem generalem Inquisitoribus datam, cognoscendi de hæresi suspectis, posse eos cognoscere de ijs sollicitationibus ad turpia factis in administratione aliorum Sacramentorum, immò eodem modo ad alia peccata, e. g. ad furtum &c. factis in confessione; nam quamvis dictæ Bullæ semper loquantur de provocationibus ad res venereas, & in confessione; tamen ex dicta facultate, etiam possent Inquisitores cognoscere provocantes in conf. ad alia peccata, si deferantur à Fidelibus.

Hæc ex Castropalao qui etiam advertit, ejusmodi delinquentes in alijs Sacramentis, vel in confess. ad alia peccata, debere denunciari suo Superiori secundum regulas requisitas, & observandas in denuntiatione facienda, ut scilicet delinquens corrigatur, & emendetur, ut sic, in re tam gravi, bono communi consulatur.



# P A R E R G O N AD TERTIUM ECCLESIAE PRÆCEPTUM.

D E

## E V C H A R I S T I A.

*Non Jejuno litare an liceat aliquando ?*

**E**rax, atque uberibus spicis, & crebris fecunda est literaria prolusionum seges, auditores; nimis enim arctis coercent spatij, præfandi argumenta, qui tantum, vel Scriptorum, quos explicandos suscipiunt, laudibus, vel scientiam, quam deinceps professuri sunt, commendatione concludunt. Equidem in eam pedibus sententiam eo, opportunam eligi proloquendi materiem; cum erudita quæpiam, atque auditoribus grata differratio ex ijs, quæ in ejusmodi scientiæ penu locum habeat, aptè proponitur; & in eadem, quasi in arena, & campo, ante constitutum prælij diem, artificiosè procluditur.

Ego igitur, tractationem de tertio Ecclesiæ præcepto, hoc est, de suscipienda ferijs paschalibus Sacra Synaxi, auditoribus meis propinaturus ( id quod ego, ut à mei Prædecessoris vestigijs non discedam, qui primum, & se-

eundem ejusdem Ecclesiæ præceptum eruditè superioribus tribus annis explicuit; utinam ego eruditione parus) ego, inquam, quid in hac sapientium virorum corona præfabor? Ecquam levem velitationem hoc initio suscipiam, quasi solemne præludium futurarum decisionum, quas consequente anno, Summo favente Numine, moliturus sum? Eligo de celebri illa questione aliquid differere, quæ inquirat, an Sacra Eucharistiæ mentæ liceat aliquando fidei non jejuno naturaliter, ut loquimur, accumbere? Et quidem mihi nequaquam instituendus est sermo; an id graviter ægrotanti liceat, Sacra causa Viatici; neque, an Sacerdoti, quando Sacra hostiæ præconsecratæ copia non suppetit, & alius Sacerdos non adsit jejunos, qui ad aram operans, providere infirmo de eodem Viatico possit; neque, an Sacerdoti item non jejuno, si jejunos non adsit, quando completum est Sacrificium, celebrante, me-



Ab in Sacro; post Consecrationem deficiente; neque an fidei cultumque non jejuno absumere liceat Sacra victimæ particulas, ne ingruente Hæreticorum, vel Infidelium turba, Sanctum in manibus canum deferatur; non inquam, de his mihi instituendus est sermo; hæc enim vulgata sunt, & recentiorum Theologorum oppugnante nemine, facili negotio non jejuni conceduntur; sed disceptatio nostra, in eo versabitur, an idem concedatur, ob periculum, timoremque gravis decoris, vel notæ?

Et nihilominus vulgata item doctrina Theologorum est, etiam tum benigne concedi; siquidem præcepta pæ Matris Ecclesiæ non obligant (remoto contemptu) cum tanto propriæ famæ dispendio; nam propterea Sacer Mystra, si dum Sacra libamina peragit, recorderetur etiam ante Operatoria verba, se cibum potumve sumpsisse, porro pergit ad reliqua; excusabitur enim satis, superque à prædicto periculo in decoris notam incidendi. Ut interim taceam Sanctum Bonaventuram, virum doctrina, & pietate præclarum, asserentem, inchoatam Missam semper esse à Sacrificante perficiendam, quia ferè nunquam sine scandalo solet omitti: adderem ego, & sine irreverentia. Porro, si ad ultra item indulgemus, in quo tandem disputatio nostra versabitur? Ajo, non quidem in expendendo jure, sed in venando factò, nostram esse in præsentis quæstione collocandam industriam; omnes enim scimus, instante gravi infamæ periculo, ab Ecclesiasticis imperijs nequaquam Fideles ob-

stringi: At, quandonam, re ipsa, ejusmodi periculum imminet, non scimus omnes; & operosum sæpè esse, id decernere, omnes ingenuè fateamur.

Hoc igitur agamus. Et profectò (cælestibus annuentibus) id actum, absque vestra molestia, Patres, à me erit; si unam, alteramque non insulsum narratiunculam proferam in medium, & difficultates inde emergentes brevi responsione dissolvam. Initium facio ab ea, quam refert Adamus Tannerus, vir Societatis Nostræ, Theologiz scientissimus *disp. 5. quæst. 8. n. 92. de Eucharistia.*

Sacerdos quidam (ait) nomine Theophilus, cujusdam pagi animarum Curator in Svevia, invitaverat ad festivum dedicationis suæ Ecclesiæ diem honestandum, decem, vel plures Sacerdotes in vicinis Oppidis commorantes. Præstò fuerant destinato die, & ex his postremus, ille adfuit, qui aliquibus ante diebus à Parocho Theophilo rogatus, ac designatus fuerat, ut solemnem Sacrum (Missam majorem vulgus appellat) consueto ritu, & cantu occurrenti ad diem festivum frequenti populo, daret. Verùm is, re non benè intellecta, vel datæ sponsonis immemor, priusquam à suo pago discederet, rem Sacram suis fecerat parochianis; reliqui verò Sacerdotes, aut idem egerant in suis quisque Oppidis, aut ex his nonnulli itineris suscipiendi causa ex suis locis ad Theophili distantem ædem, Sacro Mysterio, ea luce, nequaquam oblato, se commodo jentaculo muniverant. Itaque nullus ex Presbyterorum numero inveniri



potuit, qui jejunus in tanta solemnitate, populo sacrificium expectanti, esset ad Sacras preces ritè dispositus. Quid ergo factum est? Tannerus, his breviter enarratis, hæc ferè verba subnectit, Inquiro, an illorum, Sacerdotum unus potuisset inculpatè in hoc eventu facere Sacrum? Et primò respondet *num. 64.* potuisse, si defectus jejunij fuisset occultus, quia è duobus malis erat minus eligendum *ex lib. quoties nihil H. de Regulis juris.* At minus malum censendum fuisset, Sacerdotem occultè injejunum ad Communionem accedere, quàm Sacrum in his circumstantijs non celebrari. Respondet secundò si publicus fuisset jejunij defectus, fuisset satius, ut totus populus (prius tamen è suggestu causam edoctus) dimitteretur absque Missa, quàm illa fieret ab illorum aliquo, quos, nemine excepto, non esse jejunos, pluribus manifestè constabat. Hæc ille, approbans id, quod religiosi ij Sacriolæ, inita consultatione, decreverunt. Nam fuit ea populi multitudo è sublimi loco admonita, & inaudito Sacro dimissa.

Date mihi nunc veniam, Patres, ut ego venerabilium illorum Sacerdotum, ac doctissimi Tanneri, bona pace, meas nugas interponam.

Equidem, si hodie hujusmodi hæsitati interestem, suaderem, ut ad aram unus ex ijs operaretur, qui, quamvis jejunium violasset, vitalia tamen Sacrificij liba non prægustaverat; Etenim, in primis, non esset ullum timendum scandalum, ut probi illi Præbiteri vererentur, si enim ij, quemadmodum

causam dimittendi, sacrificio non oblato, populum docuerunt, sic pro concione edixissent, permitti ab Ecclesia in rarissimo eventu, tam vehementibus adjunctis vallato, hanc injejunè libandi facultatem, certè benevolentiam potius concepissent Fideles de benignitate præ Matris Ecclesiæ, quàm ullum passis essent pravi exempli detrimentum.

Deinde ob grave, & publicum scandalum, quod alia ratione evitari non datur, licitè facit Sacrum Sacerdos, tamen non Jejunus, ut post Suarezium *disp. 68. sect. 2. de Eucharist.* contra Navarrum traditidem Tannerus *loco laudato num. 41.* Nam ubi in difficultates impingimus, semper eligendum est illud, in quò minus instat periculi, ut docet S. Thom. *3. p. 9. art. 6. ad 2.* minus autem periculi est illud ex eodem S. Doctore, *ibidem*, quod pertinet ad qualitatem unius, quàm quod spectat ad multos, qui peccandi ansam accipiant. In re autem, de qua loquimur, si illam sincera mente pensitemus, non potest evitari gravis scandali periculum, hoc est, gravis, & injusta indignatio plebis adversus Sacerdotes, gravis oblocutio in eosdem, & ridicula dicitia, eorum famam, honoremque lædentia. Quis, quæso, inurbanum, stultumque vulgus cohibere possit, quin hoc, vel simili cachinno petulanter effutiret? Hem Sacerdotum ingluviem! Hem, quod abstinentiæ exemplum ij in templis continuò viventes, & Sacra Evangelia temperantiam prædicantia evolventes, proponunt nobis in domibus profanis, in plateis, in hospitij, in officinis quotidie commorantibus!



fibus: Tentant manè, qui vespere Ecclesiastici Jejunij vix ad uncias panis octo, nos fame distentos amandant, & benignè sic nobiscum agere gloriantur. Solemni Sacro nos defraudant, ut ipsi consuetudine solemnij manè ientandi non defraudentur. Hæc, & his amariora, quis ex illo plurium capitum monstro non expectabit? Et profecto quanti item æstimandum est, & omnino à Fidelibus extirpandum labendi illud periculum, eos nimirum assuefieri ad Sacerdotes aspernandos, atque adeò ad eorum consilia, documenta parvi faciendâ?

Tertiò, expendamus, quod idem Tannerus prudenter decernit *ibid.* n. 92. censet enim, si die festivo Natalis Christi Domini unus dumtaxat Sacerdos post sumptum à media nocte cibum in aliquo pago adesset, nec alius haberi, vel conquiri posset, nullo cibo refectus; censet, inquam, illi non jejuno facere Sacrum eo die licere, & ritè factum, si Sacris operaretur adhuc semel. Deus ergo immortalis? quodnam grande discrimen intercedit inter Sacrum necessariò celebrandum die Natalis Domini, unde liceat non Jejunio litare, & inter Sacrum solemne celebratis, de qua loquimur, ut idem omnino non liceat? cùm præsertim hic ex multis locis, pagisque multitudine confluerat: ibi in Natali Domini unius tantùm Oppidi populus exposcebat Sacrum.

Postremum argumentum ducamus ex paritate cum gravissimo Decreto Concilij Trid. *sess. 13. cap. 7.* in quo sic habetur: *Nullus sibi conscius peccati*  
Tambur. de Præcept. Eccles.

mortalis, quantumvis sibi contritum videatur, absque præmissa Confessione Sacramentali, ad Sacram Eucharistiam accedere audeat, etiam Sacerdotes. Quod si quis, necessitate urgente, ante præviâ Confessionem celebraverit, quàmprimùm confiteatur. Hæc Tridentinum.

Hic ergo inquirunt Doctores, & indigitant eas necessitates, in quibus liceat, non præmissâ lethaliū hominologesi, cum contritione Aris intendere: & inter illas enumerant cum Diana *part. 9. tr. 3. ref. 9.* Trull. & Gartia (contra Castropal. hæc veniam dare negantem *p. 12. de Euchar.*) eventum illum, quo simplex Sacerdos, hoc est, etiam non Parochus, rogetur ab aliis, probum, innocentemque Sacerdotem non habentibus, qui ipsis rem divinam die festivo faciat; immò etiam, quando ipse unus Sacerdos Sacro carere deberet. Id ego, vestigiis hærens doctissimi Castropalai, nullatenus approbo, sed non est hic de ejusmodi sententia disputandi locus. Solùm assero, eam mihi in disceptatione, quam præmanibus habeo, valdè favere; si enim Doctores illi, fas esse, affirmant, Sacerdoti absque mortalium delictorum confessione, & solùm contrito sacrificare, ne vel ipse, vel alij Sacro careant die festo; quidni, nos idem non Jejunio in adjunctis multò gravioribus licere, contendamus? peccatori enim Missam celebrare volenti, confessionem imperat justio divina, quam à Tridentino declaratam fuisse dumtaxat, & promulgatam, non verò institutam, fert probabilior Theologorum sententia,



tia, cum jejunium ante Sacri Mysterij functionem, certò, & ex omnium doctrina, sola imperet Ecclesia, quæ obstringere nunquam præsumitur, quando molestissima illa incommoda urgent, quæ in Superioribus in medium allata sunt.

Plura item cumularem, nisi me orationem vertere ad alterum, quod promisi, exemplum, temporis angustia, commonefaceret; quod quidem, dum hanc prolusionem ante paucos dies meditarer, in mentem mihi revocavit recens nostrorum Sacerdotum inauguratio: Ecce illud.

Quidam, cui nomen erat Nicephorus, recens Sacerdos (Neomistam, unico vocabulo, appellant Græci, quod etiam nos Latini non semel usurpamus) Neomista, inquam, Nicephorus, diu & frequenter in sicco Sacro, ut loquimur, faciendo, se exercuerat, ea spe, ut primitias ex acquisita consuetudine expeditius, & securius immolaret. Idem peregit manè illius diei, quo primam hostiam Deo erat solemniter oblaturus, ac pro more, quem servaverat superioribus diebus, immemor instantis celebritatis, assumpsit, deglutitque grandiore partuculam non consecratam, idque paulò ante, quam pulsarentur campanæ, indices solemnificij, ut in illis regionibus mos increbuerat, à Neomista decantandi. Quid agam? (secum animo revolvebat:) è suggestu, more nostræ Ecclesiæ, admonitus est populus, jam tum à die Dominico præcedente, ut ad meam primam Oblationem conveniret. Templum affabrè aulais exornatum, con-

languinei inibi præstolantur, domestici convivium paraverant, Heu! quid consilij capiam? Hæc obvertabat, & similia. Demum tantisper animo sedato, subiit mentem remedium unicum elucere, consulendi scilicet Patrem quendam è nostra Societate; cujus nomen reticetis, à quo, ut mox dicam, res hæc gesta narratur. Stacim ergo ad illum accurrit, petitque consilium, cui deserte respondit Pater esse Primitias in alium diem omnino differendas. Quanto Neomistæ doloris sensu, cogitari potius, quam explicari verbis, potest. Narrationem hanc, illiusque Patris decisionem, licet breviuscule, refert P. Georgius Gobat in *Alphabeto Sacrificantium casu 13.*

Ego nihilominus mitiorem sententiam cogor amplecti à rigore consilij illius Patris, Ordinis quamvis nostri, omninò recedens. Existimo enim, si ea adjuncta (quas circumstantias minus latinè vocamus) adfuerint, quæ in relato eventu recensentur, culpam admitturum nequaquam fuisse optimum illum virum, si quamvis injeiunus à Sacro Misterio non abstinisset.

Porro circumstantiæ illæ numerabantur. Prima Neomista perhonestæ, ac nobilis erat familiæ. Secunda error ille, jejuniique defectus occultus omninò fuit, & uni ipsi solùm notus. Tertia illuc convenerant aliunde cognati plures. Quarta paratum lautum convivium. Quinta convocatus fuerat pro concione populus, atque adeò summi, medij, infimi, & cum viris nobiles matronæ ad destinatum templum se contulerant. Sub ijs circumstantijs licuisset



quæ offerri à Neomistâ Sacram Victi-  
mam, tamen non Jejunio; modò vo-  
bis hæc sententiâ placeat, sapientissimi  
auditores, puto.

Primò, quia ex Tannerò modò ha-  
buimus, licuisse, die solemni Dedicac-  
tionis, ad aram accedere, si occulta  
fuisse sui violatio Jejunij. Quidni igitur,  
si in abditissimo nostri Sacerdotis  
errore, idem ex piâ Mâtris Ecclesiæ be-  
nignitate decernamus? Non sunt re-  
petendæ rationes jam allatæ: vos ipsi  
illas huc advocate.

Sed probo secundò ex generali do-  
ctrina de Epicheia, quam post Ari-  
stotelem *S. Ethic. cap. 10.* & *S. Tho-  
mam p. 2. q. 96. art. 6.* tradunt cæteri  
Theologi: videlicet, ob virtutem,  
quam idem S. Doctor, æquitatem ap-  
pellat, fas esse recedere ab apertis le-  
gum verbis, si quando id exigat bonum  
commune, & (ut explicat idem Ari-  
stoteles) si quando Legislator adesset,  
hoc modo dixisset: dixisset, inquam,  
mentem suam nequaquam fuisse, quòd  
lex ab ipso lata ad ejusmodi actum ex-  
tenderetur. Jam si æquo animo con-  
cipiamus, Neomistæ genere Nobilis,  
optimisque moribus, ac virtutibus or-  
nati, altissimam molestiam, angustias,  
prævilum mente dedecus, Ignorantiæ  
evidens periculum, totiusque cognat-  
ionis tristissimas querimonias: si alio-  
rum oblocutiones ob oculos obverse-  
mus, suspensiones, ac temerè concepta,  
prolaræque judicicia; quòd Sacerdos ille  
laeticasitatem; quòd in excommu-  
nicationem fuerit prolapsus; quòd ir-  
regularis, aut aliquo Canonico impe-  
dimento irretitus. Si item expendam-

mus expensarum jacturam, si contem-  
prum, si convicia adversus Neomistam,  
tanquam hominis incautissimi, cum  
debuisset in tanto negotio esse cautissi-  
mus; si hæc, inquam, æqua lance per-  
pendamus, certè pronunciabimus, agi  
publicum bonum populi, illud Oppi-  
dum incolentis, quando delicta illa,  
ne committerentur, cautum esset. Se-  
cus perinde, ac periclitaretur commu-  
nis utilitas, si lex de reddendo deposti-  
to extenderetur ad restituendum furio-  
so gladium (quod est exemplum à S.  
Thoma allatum) ita periclitaretur bo-  
num animarum frequentissimæ illius  
multitudinis, si tanta occasio peccandi,  
hoc est, suspicandi, maledicendi, tem-  
erariè judicandi, contumeliosè agen-  
di infræni populo extendi sineremus;  
unde ulterius infero: Si Summus  
Pontifex interrogatus fuisset, ah Cano-  
nem illum ex S. Augustino desum-  
ptum, & *cap. liquido de Conf. dist. 2.*  
relatum de non sumenda Sacra Evcha-  
ristia, nisi à jejunis, veller extendi ad  
hunc eventum, de quo disputamus, tot-  
tàmque violentis conditionibus vesti-  
tum; infero, inquam, eum responsu-  
rum, nec se, nec S. Augustinum volu-  
isse unquam, Canonem illum extendi,  
nec aliam responsionem expectare  
possum à piâ Summi Pontificis pruden-  
tiâ: quod est illud Aristotelis, si Le-  
gislator adesset, hoc modo dixisset.

Addo nihilominus, si Sacerdos ille  
recens inauguratus, fuisset obscurus  
homo; si multò magis fuisset alienige-  
na, si non ipse unus, sed alij plures pri-  
mò erant litaturi, inque alium diem  
differebant primitias, etiam si jejunij  
deser-



defectus nullis fuisset cognitus; hunc profectò dicerem, de ara, illo die adenda, cogitare non potuisse: siquidem incommoda, quæ in hoc ignoto viro obventura timeres, non tanti censerentur momenti, ut anteponi deberent antiquissimæ Sanctioni de abstinentia cibi, cibo Angelorum præmittenda.

Sed vela orationis contrahamus; & ut initium hujus prolusionis cum fine connectatur, advertite, ornatissimi auditores, difficile nequaquam esse in hac quaestione, quid juris sit, decernere; facile enim decrevimus, instante dedecoris nota, vel gravi quopiam dispendio (semoto, ut semper intelligimus, contemptu) posse concedi jejunii sollicitudinem non esse communicaturum. At quandonam, re ipsa, & ut loqui consuevimus, de facto hæc incommoda immincant, non resolvimus facile: id enim ex allatis narrationibus, & ex emergentibus inde oppositis Doctorum placitis, ac rationibus, quas opus

semper est, non oscitanter expendere, quam operosum sit deliberare, plane notastis.

Nam propterea Theologos Moralis scientiæ consultos, præsertim illos, quorum industria, ac solertia, in institutendis animarum Judiciis, valde defudat, ut difficultates tam graves distinguere, ac definire valeant, quando ij ad Confessiones expediendas fuerint promoti, summo haberi in pretio, & magni fieri (absit verbo invidia) ab omnibus merito pervelim.

Vos, Adolescentes optimi, si Tyrocinium hujus scientiæ, nempe Moralis Theologiæ, ponere decrevistis: Preceptorum vestrorum limina terite; eos sæpe interrogate: illorum lectionibus assidue, ac frequenter assistite; ut ad tantum munus implexos moralium dubitationum nodos dissolvendi, hoc est, Fidelium animas ad salutis viam dirigendi, quo nullum opus est excellentius, idonei, magis, ac magis estote memini.

